DISPVTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA
DE
CATASTRI REVISIONE

QVAM



JVVANTE TRINVNO
EX DECRETO
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS
IN
ILLVSTRI GERANA
PRO CONSEQVENDIS
SVMMIS IN VTROQ. JVRE HONORIBVS
ERVDITORVM PLACIDAE DISQVISITIONI
VII. ID. APRIL. A. MDCLXXXV. SVBMISIT

FRIDER. WILH. LYSERVS
HAL. SAX.

RESPONDENTE

DN. CHRISTOPH. ANDREA SCHVBARTO
HAL. SAX.

HORIS SOLITIS ANTE ET POMERIDIANIS.

EDITIO NOVA

WITTENBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE 1726.





I. N. J.

PRÆFATIO.

IN caufis tributorum nervus eſt Reipubl. *L. 1. §. 20. ff. de quæſtion.* & ſine ſumptibus non ulla Respubl. ſubſiſtere poteſt, opus eſt ei opibus, ſine quibus nil fiet, quod opus. *Tholoſ. de Republ. c. 1. Bornit. de Ærar. l. 1. c. 1.* Hæc enim ſunt fulcra imperii, his ejus fines defenduntur, pauperes ſublevantur, bene meriti recreantur, regnum conſervatur, ſecuritas ſtabilitur. Hinc ſi ſalvam velimus Rempubl. collectas ac tributa ad eam conſervandam quilibet de ſuo lubens conferet. Jus enim eſt Regis, ut a Regno alatur, & quidem pompa Regali, & ut ei regnum ſubminiſtret omnia, quæ neceſſaria fuerint & ad bella gerenda & ad pacem conſervandam. Hæc a populo Regi ſubſidia debentur, & neceſſario a populo fideli ſolvuntur, cui conſentit proavus meus piæ memoriæ, *D. Polycarpus Lyſerus* im Regenten = Spiegel in der Predigt am Anfange des Land= Tags *fol. 228. Stapletonus in Prompt. Morali Dom. XXII. poſt Trin. f. 583.* Nam, licet nullo modo eorum impiam

probe-

probemus curam, qui in eo unice desudant, ut quotidie novos collectandi modos excogitare, & Principis ærarium sudore ac sangvine subditorum replere queant, ejusmodi enim nebulones laqueo dignos judicat Potentissimus Hassiæ Landgravius, PHILJPPVS, & ut patriæ proditores & pauperum excoriatores durissimis subjiciendos tormentis. Interim tamen nec eos reprehendendos credo, qui ex subditorum tantum decerpunt bonis, quantum ad summi Principis & Reipubl. conservationem necessarium, & quibus subditi commode carere possunt. Tanti enim necessario debent esse reditus Principis, quam variæ & multiplices sunt ejus expensæ, & secundum horum proportionem tributorum fiet impositio. Merito igitur summa eorum Principum commendatur pietas, qui non cœco quodam impetu impia suorum exactorum sequuntur consilia, eorumque persvasionibus patulas ubique concedunt aures, sed re ad consilium & æquitatem revocata, collectas ita imponunt, ut & obvenienti necessitati occurratur, & subditorum facultates non plane exhauriantur. Hinc ut æqualis tributorum pro cujusque facultatibus fieret computatio, in usu jam olim esse cœpit confectio Catastri, in quo omnia omnium subditorum bona & reditus consignarentur, & deinde secundum horum redituum proportionem collectis subjicerentur. Cum autem nihil in hac vita tam diuturnum ac stabile, quod non successu temporis mutetur, & vel augmentum, vel decrementum sentiat, & idem quoque in bonis ac facultatibus subditorum contingere expertum sit, svasit æquitas, ne cui injuria fieret, ut interdum Catastra reviderentur, & eorum tributa crescerent, quorum facultates accretæ, eorum vero diminuerentur, qui eorum passi essent jacturam.

Et hæc ſumma fuit ratio, quæ INVICTISSIMVM ac CLEMENTISSIMVM PATRIÆ NOSTRÆ PATREM, SERENISSIMVM ELECTOREM BRANDEBVRGICVM FRIDERICVM WILHELMVM, movit, ut pro indefeſſa ſollicitudine, ac incredibili in ſubditos amore, ſimulac hujus Magdeburgenſis Ducatus nanciſceretur poſſeſſionem, inter ingentes & quaſi concatenatas curas, in id paternum ſuum animum unice haberet intentum, ut quam celeberrime ſub diuturnis ac nimis gravibus oneribus vacillantes & fere deficientes, ſubditorum ſuorum reficeret animos. Hoc vero cum commode expediri non poſſet, niſi ante omnia de ſubditorum conſtaret facultatibus, & quantum quisque tributi loco penderet, hinc ſumma prudentia ac incomparabili ſolertia ſtatuit, Reviſionem Cataſtri & omnium in univerſum bonorum eſſe inſtituendam, ad quam rite expediendam elegit Illuſtres, Generoſos, Nobiles ac Jurisperitos, qui Reviſioni huic intereſſent, & ſecundum hujus Reviſionis tenorem, novum & exactum poſtmodum facerent Cataſtrum, & debitam inter omnes onerum exæquationem. Et hæc fuit occaſio, quæ & mihi de inaugurali cogitanti anſam dedit hanc præ alia eligere materiam, quæ in omninm jam verſatur animis, nempe

DE

REVISIONE CATASTRI.

CAP. I.

DE DEFINITIONE REVISIONIS CATASTRI TAM NOMINALI, QVAM REALI.

§. I.

Introitus.



Ubrica Disputationis hujus est REVISIO CATASTRI, nec satis scio, an operæ pretium sim facturus, si in horum verborum Etymologiam & genuinum sensum operosius inquisivero, cum eorum significatio unicuique, qui terminorum saltem Juris aliqualem habet notitiam, sufficienter nota sit. Interim tamen cum nominum præcipua haberi debeat ratio, secundum effatum Philosophorum, & ipsius Sacratissimi Imperatoris Justiniani in *l. 1. ff. de J. J. §. 2. I. de Tutor.* ideo non peccabimus, si eorum insistentes vestigiis, quædam huc pertinentia præmiserimus

§. II.

Etymologia. Et quidem quod primo Etymologiam attinet vocabuli Revisionis, facile colligi potest, esse vocem compositam ex præpositione *re* & *videre*, ita ut revidere idem sit, ac rem semel lustratam, iterum de novo oculis subjicere, & per Catastri Revisionem nihil aliud intelligatur, quam catastri jam dum constituti ac confecti renovatio, ac nova & iterata perlustratio. Habet equidem vox videre etiam varias in nostro Jure acceptiones, mox enim animo tribuitur, ut in *l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm.* mox passive sumitur & denotat, rem non ita esse, sed apparere, ut *l. 36. in f. & l. 37. ff. de contrab. Empt. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm.* interdum certam negotii propositi decisionem & sic ipsam veritatem denotat, ut *l. 1. §. fin. ff. ad SCt. Turpill. l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstr.* sed in his inquirendis nolo curiosus esse, Philologorum ac Lexicographorum hic est labor, quo me remitto. Catastrum vox est origine Græca,

ca, & derivatur ut plurimum a Græca καταρθῆναι, quod lustrari significat, fortassis ideo, quod singulis lustris ejusmodi libelli conficiebantur, vel rerum æstimationes renovarentur. *Bartius in l. forma §. si cum ego ff. de Censib.* videtur Catastrum appellare librum, quo tributa & census solebant æstimari, & in §. *si quis veniam* ipsam æstimationem. In corpore nostro Juris vox Catastri non reperitur, hinc nonnulli eam pro barbara habent, sed hodie civitate donata.

§. III.

Revisio etiam sua habet Synonyma, & interdum idem est ac renovatio, reiteratio, relustratio, repetita ac iterata perspectio. Catastri Synonymia varia itidem est. Vocatur enim (1) Æstimum sive extimum, quod justam quasi bonorum contineat æstimationem. (2) Liber censualis, Steuer- oder Saalbuch, in quo bona censualia & census, h. e. tributum, sunt inscripti. Vocantur ita a Sala, sive aula sive basilica. Horum etiam fit mentio in R. I. zu Erffurt *1567.* §. Damit aber *24.* §. Wann dann *27. Besold. contin. sub verbo* Saalbuch. (3) Matricula, quæ tamen absolute posita, propter excellentiam denotat illam potissimum, quæ Imperii Status designat. (4) Census in genere, *l. 4. pr. ff. de cens.* census enim olim publicam civium & bonorum significabat descriptionem. *Perez ad C. de cens. & censit.* (5) Taxa, partitio, distributio, quia catastra nullum alium in finem conficiuntur, quam ut secundum eorum taxam æqualis onerum fiat distributio. (6) Rationarium s. breviarium Imperii, quod tamen in eo differt a Catastro, quod in eo tantum vires ærarii consignentur, ut Principi constet, quantum habeat in facultatibus.

Synonymia.

§. IV.

Jam ad Definitionem realem. Definiri autem potest Revisio Catastri, quod sit reiterata civium & bonorum descriptio in tabulis publicis, facta autoritate publica, eum in finem, ut tributa secundum augmentum vel decrementum bonorum, & exinde provenientium redituum proportionem, inter subditos æqualiter distribuantur.

Definitio Revisionis Catastri.

§. V.

Ita in præsens definire vel potius describere placuit Revisionem Catastri; Accuratam enim definitionem secundum

Explicatio Definitionis.

Logico-

Logicorum præcepta combinatam valde periculoſam eſſe in Jure noſtro, ſcio *l. 202. ff. de R. J.* Loco generis poſui reiteratam deſcriptionem, utpote cum ad eſſentiam Reviſionis Cataſtri requiratur, ut non ſolum ſubditi bona profiteantur, eorum profeſſio a præſentibus reviſoribus exaudiatur, ſed etiam inſuper requiritur, ut per miniſtrum publicum & juratum, omnia bona profeſſa & perſonæ fideliter conſignentur & deſcribantur.

§. VI.

Notanter etiam dixi, eſſe deſcriptionem in tabulis publicis factam autoritate publica. Eſt enim publica partim ratione cauſæ efficientis, fit enim autoritate publica & juſſu Superioris, utpote quod in noſtra Reviſione neceſſario requiritur, item ratione formæ, quia in tabulis publicis, publico judicio, a perſonis publica autoritate ad id, conſtitutis, fit & perficitur, imo ratione finis, qui eſt publica ſubditorum utilitas, & maxime ratione effectus, facit enim fidem publicam, ita ut ejusmodi deſcriptioni ſemper & ubique credatur.

§. VII.

Reliqua verba Definitionis, quod ſit civium & bonorum deſcriptio, abſolvunt tam Subjectum, quam Objectum noſtræ Reviſionis, & tandem additur Finis, nempe utilitas & commodum ſubditorum, quod per exæquationem tributorum ad ipſos neceſſario redundare debet. Sed cum de his in ſequentibus fuſius ſimus dicturi, ideo hic prolixiores eſſe nolumus. Sit igitur

CAP. II.

DE

CATASTRO IN GENERE.

§. I.

NOn incongruum eſſe putavi, ſi de Reviſione Cataſtri acturus, quædam ad planiorem ac pleniorem hujus materiæ dilucidationem de Cataſtro in genere præmitterem. Et cum priore capite de nomine Cataſtri, ejus

ejus Etymologia & Synonymia tractaverim, hic brevibus quædam de ejus, nempe Catastri, origine, natura, necessitate & utilitate subjiciam.

§. II.

Et quidem quod originem Catastri concernit; nullum est dubium, quin eadem cum collectis habeat incunabula, & statim ab eo tempore cœperint fieri Catastra, sive censuales libri, quo collectæ subditis pro bonorum ac facultatum quantitate imponi cœperunt. Apud Romanos prima origo census merito tribuitur Servio Tullio, teste *Liv. l. 1. c. 42.* & *Floro c. 6. l. 1.* utpote qui primus effecit, ut ipsa se Respubl. nosceret. Instituit autem primo, ut singula capita liberorum recens natorum Junoni Lucinæ aliquid inferrent, patresque in censu conficiendo, non facultates modo in campo Martio in censum deducerent, sed suum quoque & uxoris nomen ætatemque & familiæ capita profiterentur. Hæc postmodum omnia in censuales tabulas referebantur, ut ita omnibus, non sentientibus, jugum intolerabile exactionum omnis generis imponeretur. Hujus censuræ duæ erant partes, una mores civitatis & civium investigabat, altera in facultates, possessiones & bona civium inquirebat & ea annotabat, & sic census institutus erat, in salutem tanti futuri Imperii, ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum, fierent, *Liv. l. c.* Postmodum Servius ex hoc censu quinque descripsit classes, & paci & bello decoras, & hoc in eum finem, ut a pauperibus in divites derivarentur onera. Et ne quid fraudis subesse posset, rigidam insuper hanc tulit legem, de his qui se censeri æstimarique nollent, vel mala fide minoris, quam valerent, æstimari paterentur, ut vinculis aut morte punirentur, teste eodem *Livio.* Postmodum cum successu temporis nonnullorum facultates interdum augerentur, aliorum vero decrescerent & minuerentur, salubriter a Legislatoribus constitutum, ut Censores sive Peræquatores hujus rei curam gererent, & caverent, ne gravior alicui pro facultatibus sarcina imponeretur, sed æqualitas inter omnes, quoad fieri posset, observaretur. Hinc Peræquatores constituti, quorum hoc erat officium, ut inspectis prædiis ac bonis,

De origine Catastri.

B

nis, census æquabili ratione imponerent ac emendarent, *Gottofred. in not. ad L. 5. C. de cens. & censib.* & ut gravatis ac injusto oneri imparibus levamen quærerent iisque succurrerent, *l. 5. & t. t. C. de censib. & censit.* Et hæc fuit origo census & Catastrorum, quæ ad nostra usque tempora continuata tamdiu durabunt, quamdiu collectarum in Republ. nostra manebit necessitas.

§. III.

Ratio formalis Catastri.

Quæ autem sit natura Catastri & in quonam consistat ejus ratio formalis, jam paucis subjiciam. Optime autem de eo constare poterit ex definitione Catastri, quod describitur, quod sit designatio publica civium & bonorum in tabulis publicis, tributi & collectarum imponendi causa. Ratio igitur formalis Catastri in eo consistere videtur, ut nimirum publica autoritate conficiatur, & in eo personæ & bona subditorum describantur. Cur autem personæ catastrandæ? Hæc mihi subesse videtur ratio, ut de eorum numero, ætate, conditione & similibus Principi constare possit. Maxime enim conducit Principi, si ætatem, numerum ac conditionem subditorum suorum sciat, vel ad hoc, ut, si fortassis bellum aut alia publica ingruat necessitas, vires regni sui sciat, an sint sufficientes ad aliorum injurias propulsandas, & quantus tempore necessitatis numerus militum in unaquaque provincia proscribi possit. Nonnulli hoc eo extendunt, ut velint, dies natales & emortuales in Catastris notari debere, addita hac ratione, quod hoc probationem ætatis faceret securiorem, sed hoc superfluum dicerem, cum ex nominis, ætatis & professionis professione reliqua facile colligi possint, uti etiam cautum in der *Instruction* der *Taxatoren* im Ertz-Stifft Magdeb. *An. 1531. §. 1. seq.* Nec erit injustum, subditorum suorum numerum inire, cum & ipse DEUS in Sacris *Num. I. v. 2.* jusserit, universæ congregationis filiorum Israël per cognationes & domus suas & nomina singulorum, quicquid sexus erat masculini a vicesimo anno & supra tollere summam, & per turmas suas numerare. Hæc autem designatio non nisi publica autoritate fieri debet illius, qui summam in Republ. habet potestatem, & quidem in tabulis publicis. Est enim character

Maje-

Majestatis descriptio subditorum, qui nemini competit, nisi Majestatem habenti, & cui iste concesserit. Post personarum designationem sequitur descriptio facultatum, secundum juratam cujusque professionem, ubi singula bona, negotiationes, lucra, proventus & reditus accuratissime catastranda. In accurata enim facultatum descriptione procul dubio ratio formalis Catastri consistit, utpote quæ est fundamentum distributionis collectarum. Hæc si recte se habeat, non potest non etiam justa onerum fieri divisio, contra, si in unico saltem fallat, inæquabilitas quoque & injustitia in collectarum distributione non evitabitur. Consistit igitur forma Catastri in legitima & accurata subditorum ac facultatum descriptione.

§. IV.

De necessitate Catastri. Nec minor est Catastri necessitas. Nam sicuti tributis & collectis Respubl. carere non potest, cum nec quies sine armis, nec utrumque sine tributis haberi possit, *Liv. Hist. Rom. l. 1. Tacit. l. 4. Annal.* ita nec Catastro, utpote ex cujus legitima confectione omnis justitia tributorum unice dependet, & sine quo debita difficulter servabitur æqualitas. Tributorum autem ac vectigalium necessitatem non nisi stolidus & ratione carens negabit. Hæc enim vel ad domesticos Principis sumptus, vel ad exercitus, vel ad populum alendum, vel ad Magistratus, vel alia publica onera sustentanda colligi debent. Vid. de his pluribus *Klock. de contribut. c. 1. n. 45. seq.*

§. V.

De utilitate Catastri. Utilitas Catastri varia est, & partim ad imperantes, partim ad parentes redundat. Imperantium hæc est, ut, quoties necessitas efflagitat, tributa imponere, statim inspecto catastro vires & facultates uniuscujusque sciant, & pro cujusque conditione eum tributis subjiciant. Nec minor est utilitas subditorum. Catastrum enim efficit, ne quis præ alio gravetur aut injuria afficiatur, sed ut onera & tributa æqualiter distribuantur. Hæc enim æqualitas non potest haberi, nisi prius de facultatibus uniuscujusque, de annuis reditibus, modis acquirendi, consumptionibus & similibus constet, &, pro harum circumstantiarum conditione, fiat distributio. Hic enim finis est, Catastrorum publica imperanti-

 um

um autoritate confectorum, ut iis inspectis, & quasi pro fundamento positis, onus tributorum superinstruatur, ita ut pro cujusque vel robore, vel imbecillitate nemini plus vel minus imponatur, quam valeant humeri aut ferre recusent.

Et hæc in genere de Catastro, ejus origine, natura, necessitate & utilitate dixisse sufficiant: transeo jam ad

CAP. III.

DE

CAVSA EFFICIENTE REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

Causa efficiens Revisionis est Princeps.

CAusa Revisionis Catastri efficiens eadem est, quæ ipsius Catastri, nempe Princeps vel is, qui habet τὸ κύριον in Republica. Quemadmodum enim solius Principis est imponere tributa, ita etiam revisio & adæquatio tributorum ipsi soli compe-tet. Quod autem impositio tributorum sit solius Principis, ex eo facile probari potest, quod jus collectandi sit regale, imo a nonnullis inter majora referatur Regalia, *l. placet C. de excus. mun. l. unic. C. de superindict.* & accedunt huic sententiæ plurimi ex Dd. uti *Montanus de Feud. p. 2. l. 6. c. 5. Schneidewin. de Feud. p. 2. n. 109. fol. 146. & p. 5. n. 19. Borcholt. de Feud. c. un. n. 53. Sixtin. l. 2. de Regal. c. 14. num. 17. Vultej. de Feud. c. 5. num. 7. Gilcken ad avthent. quas actiones c. 10.* ubi refutat *Mindanum l. 2. de mandat. judic. c. 45. n. 5.* expresse negantem, collectas esse de Regalibus. *Menoch. cons. 32. num. 30. et 70. & cons. 983. num. 26. Wesenbec. consil. 198. & consil. 320. num. 26. 27. & 28. vol. 7.* Comprobavit etiam hanc sententiam Camera Imperialis, testante *Meichsnero Decis. Cameral. T. 2. l. 1. decis. 6. num. 129. §. quamvis seq. & T. 3. decis. 1. num. 13. Gylm. rer. judic. Cameral. l. 2. decis. 14. num. 27. & Symphor. supplic. T. 1. p. 2. tit. 6. vol. 1. num. 33. & vol. 4. num. 20.*

Jus collectandi est Regale.

num. 20. 35. 42. & vol. 6. num. 4. & 5. Ruland de Commiss. l. 6. n. 1. Constit. Feud. in c. un. quæ sint Regal. Et hoc jus collectandi non solum de Regalibus est in Imperatore, sed & in aliis Principibus, Imperii Statibus, quibus hoc Regale jus vel ex privilegio, vel ex consvetudine, vel præscriptione, vel subditorum concessione competit per text. *c. super quibusdam* §. *praterea X. de V. S. Bocer. de collect. c. 1. n. 21.* Principes enim Imperii Germanici in suis Principatibus idem hodie jus habere dicuntur, quod Imperator in Imperio. Nec obstat nobis *l. 1. C. de superindict.* ubi soli Imperatori jus imponendi collectas tribuitur, nam idem jus Imperator Principibus per Investituram concessit, ubi in specie de Regalibus, ad quæ jus collectandi pertinet, fuerunt investiti. *Gaden Cons. 1. n. 4. Wesenb. Cons. 27. n. 29. Bocer. l. c. n. 22. & c. 4. n. 5.*

§. II.

An Princeps sine Statuum consensu collectas possit indicere?

Hic incidenter mihi liceat inserere hanc vexatam quæstionem: An liceat Principi non consultis Imperii vel territorii Statibus, proprio motu indicere tributa? Et summa ratio ac æquitas negativam defendere svadet, quamvis non pauci reperiantur, quorum mores ad adulationem compositi, qui in favorem Principum contrarium, nescio qua conscientia, defendant. Probo autem assertionem meam his potissimum rationibus, & quidem (1.) Exemplo summi in Imperio nostro Monarchæ, qui fons & origo est, unde velut per rivulos & canales diffluit & promanat, quicquid est uspiam jurisdictionis *Carol. Topia in Rubric. de constit. Princip. c. 4. n. 10. Anton. de Petra tract. de Fideicommiss. q. 13. n. 562.* hic non nisi Electorum & Statuum Imperii consensu indicit collectas, & hoc vigore Capitulationum, uti in specie videre est ex *Capitul. Ferdinandi III.* §. *13.* & *Ferdin. IV.* §. *14.* item moderni Imperatoris LEOPOLDI I. §. *17.* Idem apparet ex hodiernis Imperii Legibus, Recessibus Imp. ubi hæ solennes & usitatæ fere ubique reperiuntur clausulæ: So haben wir uns mit den Ständen des Reichs, und Sie hinwiederumb mit uns, sich verglichen, R. I. de An. 1495. it. de An. 1500. A. 1512. §. Und damit die Mässigung. A. 1518. A. 1522. A. 1526. §. It. Als auf dem Reichs-Tag. A. 1529. §. Zum anderen. A. 1530. §. Und nachdem offenbahr. A. 1532. princ. An.

 1542.

1542. &c. Ex quibus Recessibus colligere licet, quod nullum unquam arduum & difficile negotium inconsultis Imperii Statibus ab Imperatore fuerit susceptum, ad quæ ardua negotia extraordinaria tributa merito referimus. (2) Nititur hæc mea assertio æquitate. In materia enim collectarum omnis violentia abesse debet, quæ tamen non evitabitur, si subditis invitis & insciis sua eripiantur, & aurea plane sunt verba illustris Historici *Cominæi l. 5. c. 18. Hist. Gall.* quando dicit: Ecquis in orbe terrarum Rex aut Princeps est, cui jus sit tributum vel unius teruncii subditis suis sine ipsorum consensu imponere, nisi violentia & tyrannide uti velit; Nulla enim subjectio, nulla servitus, nullum onus usquam impositum fuit, nisi populus, qui subiturus illa onera erat, impositioni ejusmodi consentiret. (3) Ex ratione Juris Civ. quia id, quod est omnibus profuturum, vel potest esse nocivum, de consensu omnium est agendum; *l. 7. C. de omni agr. desert.* & ardua negotia non debent Principes expedire, priusquam ad populum Proceresque referantur. *Jason. in l. placet n. 10. C. de SS. Eccl.* (4) Exemplis & consvetudine omnium fere Imperiorum & Regnorum. De Imperio nostro Romano-Germanico, & in specie de Imperatore supra dixi, quod merito ad reliquos Imperii Status extendimus, utpote qui veluti membra capitis moderamen sequuntur, imo in exactione collectarum ipsis certa methodus præscripta in R. I. ne nimirum plus a subditis suis exigant, quam quota eorum importat, *R. I.* zu Speyer *A. 1548.* §. Damit aber gemeine. *R. I.* zu Augspurg *A. 1566.* §. Dieweil nun diese, & *R. I.* zu Regenspurg *A. 1557.* §. So soll es derowegen. *ibid. A. 1567.* §. Und nachdem itzt. *ibid. A. 1576.* §. Und nachdem diese &c. De Regno Angliæ testatur Sanctio Eduardi I. Regis Angliæ, qua interdictum Regibus, citra consensum consiliumque universæ Angliæ, plebeja tributorum indictio A. D. 1298. uti *ex Polyd. Vergilio refert Petr. Gregor. in Syntagm. Jur. un. l. 3. c. 3. n. 8.* De Regno Svediæ videatur *Henr. Soterus descript. Sved. rubr. 4. de vectigal. Regiis p. 178.* quod etiam patet ex Legibus regni Sveciæ publicis, quas refert idem *Soterus d. l. in rubr. 3. ex illis verbis:* Atque in iis casibus (scil. necessitatis & utili-

tatis

tatis publicæ) debet quilibet Episcopus cum sex Nobilibus in quolibet districtu seu legiferatu, & sex de populo ponderare, in quantum populus potest suo Regi pro tempore & facultate subvenire. De Gallia testatur *Bodinus l. 6. de Rep. c. 2.* De Hispania *Parlador. 1. rer. quotid. c. 3. fol. 17. n. 13.* De Hungaria, Anglia, Polonia, *Heig. 1. q. 18. n. 8. Cromer. de Rep. Polon.* De Dania ex *Alemann. & Chytræo* refert *Matthias de contribut. c. 2. n. 36.* Imo & barbarorum ac inculturam gentium hic mos est, ut in impositione tributorum Status vel Proceres in consilium adhibeant, uti de Turcis notum, qui ideo pecuniam illam, pro publicis necessitatibus exactam, Haran agameni cani, prohibitum sudorem subditorum, sive sacrum populi sangvinem appellant, utpote cujus non minus curam, quam ipsius sangvinis habendam, *uti refert Postellus de Rep. Turcica l. 3.* Objiciunt quidem nonnulli in contrarium, hac ratione nimis restringi Majestatem Principum, imo sæpius per diuturnam ejusmodi deliberationem opportunitatem agendi amitti, imprimis si res moram non patiatur. Sed respondetur, hac ratione summæ Principis potestati nihil derogari, si ex amore & paterno in subditos affectu, in rebus arduis Magnatum adhibeat consilia, cum hac ratione eo tutius procedatur, nec cuiquam facile injuria fieri possit. Sed ne nimis a scopo recedam, revertar, unde digressus sum.

§. III.

Est igitur, uti modo dictum, causa Revisionis nostræ efficiens Princeps, vel suprema in territorio potestas, die hohe Landes-Obrigkeit. An autem eadem necessitas consensus Statuum in Revisione Catastri, quæ in tributorum impositione? merito dubitatur, cum & Princeps proprio motu illam jubere possit, si fortassis ex subditorum querelis, de inæquali onerum distributione conquerentibus constet Principi, peræquationem esse faciendam & Revisionem instituendam. Non tamen inconsultum erit, si subditorum vel Statuum provinciæ opiniones colligat, qua ratione potissimum Revisio expedienda, & quomodo gravaminibus subditorum, contra publica onera eorumque inæqualitatem ingementium, debito moderamine occurri possit, ita ut & Prin-

An idem consensus requiratur in Revisione?

Principi ſua maneat competentia, nec ſubditi ſub nimio onere ſuccumbant. Et cum non exigui ſumptus ad ejusmodi Reviſionem requirantur, ita ut ſubditi per Reviſionem levamen quærentes, ſæpius plus incommodi, quam commodi, exinde ſentiant, de iis, ad debitam æquitatem reducendis, non inutiliter cum Provinciæ Statibus inſtituetur deliberatio.

§. IV.

Excluduntur 1. Magiſtratus Municipales.

Cum igitur ſoli Principi jus imponendi collectas, & Cataſtra vel eorum Reviſionem imperandi facultas competat, merito hic excluduntur (1.) Magiſtratus municipales. Si enim cuilibet inferiori Magiſtratui concederetur hæc poteſtas, exhaurirentur facultates ſubditorum, & eo modo jus Superioris in caſu neceſſitatis redderetur inane, propter paupertatem ſubditorum imminueretur que jus Regaliorum. Deinde etiam collectæ, quæ ab inferioribus poteſtatibus fiunt, Conſtitutionibus Imperatorum ſevere prohibentur & damnantur, *l. un. C. de ſuperindict. Brunn. Comment. in hanc legem Klock. de contrib. c. 3. n. 136. Roſenthal de feud. c. 5. concl. 74. l. placet C. de excuſ. mun.* Imo omni fraudi ac malitiæ aperiretur feneſtra, ſi inferioribus promiſcue Magiſtratibus hæc poteſtas imponendi collectas concederetur, quippe qui hac libertate conceſſa, ſubditos pro lubitu degluberent & expiſarent. Patitur tamen hæc noſtra aſſertio hanc reſtrictionem, ut nimirum liceat illis collectam imponere, ſi Regalia, vel etiam Jurisdictionem Civilem, ex peculiari privilegio, vel etiam conſvetudine & præſcriptione, habeant. Dicunt enim Doctores, Regalia & Jurisdictionem apud civitates & oppida eſſe poſſe, ſine præjudicio univerſalis jurisdictionis, quam Princeps ibidem habeat. *Cravett. conſ. 673. n. 15. Roland a Valle Conſ. 1. n. 143. vol. 2. Joh. Petr. Sund. deciſ. 228.* Aliud etiam eſt collectio & diſtributio collectarum, aliud earum impoſitio; Prius conceditur Magiſtratibus municipalibus, poſterius certo reſpectu negatur. (2.) Excluduntur Domini ratione Vaſallorum, Vaſalli enim non ulterius tenentur, quam ad certa ſervitia, ad quæ ſe Domino feudi in Inveſtitura obſtrinxerunt, *Jacob. de Agello de Jure Adohæ n. 17. n. 20. & 21.* (3.) Comites, Barones, Nobiles, niſi majora habeant Regalia, ad quæ has, de quibus

2. Domini ratione Vaſallorum.

3. Comites, Barones.

bus dixi, collectas refero. De privatis enim collectis hic non est sermo.

§. V.

Occasione hujus etiam quæritur: Quoties Revisio Catastri instituenda & reiteranda? Et fateor, difficile esse, certum aliquod hic determinare tempus, vel certos annos præscribere, toties faciendam dicerem, quoties id defectorum levamen exposcat, uti dicitur in *l. omne territorium C. de cens. & censit.* vel publica utilitas ac æquitas svadent. Nam si Impp. Constitutiones evolvimus, inveniemus in nulla alia materia æqui bonique rationem tam solerter inculcari, quam in materia contributionum. Sic in *R. I. de A. 1512.* §. und solches *de A. 1524.* §. Item wiewohl *de A. 1529.* §. und wiewohl *A. 1541.* §. und wiewohl *A. 1542. 1548.* §. und demnach *vid. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 14. n. 153.* Imo communis fere DD. opinio, in publicis bonorum descriptionibus seu uniuersali Catastro totius regionis, unde collecta Principi solvitur, adeo nullam certam induci obligationem, ut singulis quadrimestribus descriptiones ejusmodi sint revidendæ ac peræquandæ, ne quid ad relevationem divitum & inopum perniciem fiat, *l. 1. C. de Apoch. publ. l. 1. C. de offic. Comit. sacr. largit.* Ad summum autem intra decem annos iis, quibus fructus augentur, collectam augeri, quibus vero minuuntur, & collectarum onus imminui debere putant. Reformatio enim initur ratione augmenti vel decrementi s. diminutionis facultatum, fructuum & redituum, ut omnia ad justam æquitatem redigantur. *Thomat. de collect.* §. *retenta n. 7. Wesemb. cons. 103. n. 26.* Placet etiam nonnullis, quolibet quinquennio deberi institui Revisionem Catastri, *Boss. tit. de Princip. n. 103. Menoch. cons. 1145. in f. & cons. 1201. n. 47. Lancell. Gallia cons. 27. n. 74. & 75.* & addunt rationem, quod rerum status tanto tempore varietur. *Knichen. Encyclop. c. 10. n. 108.* Ego hic arbitrium summi Principis seu Superioris agnosco, qui ut in omnibus pro omnium & singulorum salute excubias agit, quoties æquitas & publica efflagitabit utilitas, Revisionem jubere poterit.

Quoties Revisio instituenda?

CAP. IV.

DE

MATERIA REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

Materia apud Philosophos triplex.

IN Philosophorum scholis triplicem invenimus materiam: Ex qua, in qua, & circa quam. Illam proprie materiam, istam subjectum & hanc objectum nominant. *Qvirin. Cubach. lib. Procord. c.7. de mater. prim.* De materia ex qua JCtus non est sollicitus, utpote quæ tantum substantiis corporeis inest, non vero incorporeis, qualis est Revisio Catastri.

§. II.

Objectum Revisionis.

Quod igitur attinet materiam circa quam, seu objectum nostræ Revisionis, brevibus me expedire possum, si dicam, quod sint omnia subditorum bona, imprimis illa, ex quibus lucrum vel commodum aliquod percipiunt possessores. Quemadmodum enim Catastrum per æs & libram seu pro modo facultatum hoc ordine & forma conficiendum, ut omnia bona, tam mobilia, quam immobilia & se moventia registrentur, *Wesenb. cons. 215. n. 19. passim, l. si functiones, ubi Bald. ff. de donat. l. 1. ff. quod cujusque universitatis nomine.* Ita etiam Revisio ejusdem, eodem ordine & eadem forma observata, fieri debet.

§. III.

Prædia Rustica.

Revidenda igitur sunt (1.) Prædia Rustica, sive a Rusticis seu Nobilibus possideantur, & collatis anterioribus Catastris videndum, an singula Catastro illi inserta, an vero quædam omissa, quæ tamen omnino collectari debuissent, item attendi debet, in quantum vel meliora facta, vel deteriorata, quod fideliter describendum, ut pro harum circumstantiarum ratione, vel oneri quid detrahatur, vel addatur. Et quidem tam fœcunda, quam infœcunda *l. 4. ff. de cens.*

rei-

revidenda sunt. Leges enim volunt, ut erema & deserta his, quæ culta vel opima sunt, compensentur, *l. 4. C. de cens. & censit.* & qui utilia Reipubl. loca possident, permixtione facta etiam deserta suscipiant, *l. 5. C. de omni agro desert.* Hinc etiam receptum est, certas classes colonorum facere, quia prædia non ubique ejusdem bonitatis pro ratione situationis, frugalitatis & onerum. Et sic expresse cautum in der *Instruction* vor die im Hertzogthum Magdeb. verordnete *Revisions - Commissarios* §. 7. Redituum enim & fructuum ubique habenda ratio potissima, utpote quorum causa expeditur Revisio. Si quis igitur in professione bonorum profiteatur, prædium suum esse sterile ac infructuosum, hac sola relatione non acquiescendum, sed ulterius inquirendum, quænam istius causa, an natura soli, an casus, an vero negligens cultura, & si posterius, puniendus potius erit, quam relevandus, aut alicui diligentiori cultura demandanda, cum nemini sua negligentia debeat esse lucrosa, vel tertio seu diligentiori damnosa. Contra autem si tale prædium casu quodam factum fuerit infœcundum, in Revisione Catastri vel minui debet onus, vel omnino tolli, uti suadet *Ulpianus in d. l. forma §. ff. de cens. & Comment. in h. l.*

§. IV.

Revidenda sunt (2) *Prædia Urbana*, iterum adhibitis simul priorib. Catastris, quod in omni Revisione erit perpetuum, & videndum, an pensiones ex domibus venientes auctæ sint, vel diminutæ, *Lucas de Penna in l. 1. C. de annon & tribut. Festas de Æstimo p. 2. c. 1. n. 15. Roland. Cons. 66. n. 32. l. 1.* An reditus sint perpetui, an temporarii, an aliunde sumserit incrementa per hospitationem oder Wirthschafft, meliorationem, priuilegia, vel quælibet lucra ei adjecta. Domus enim semper æstimanda ratione redituum & pensionum, non vero pretiositatis & valoris, uti Imperatores Valent. & Valens, it. Gratianus *in l. 2. C. de præd. et omn. reb. navic.* rescripserunt expressis verbis: *Domus, quarum cultu decus urbium potius, quam fructus acquiritur, ubi veneunt, pro tanto modo ad pensionem obligari placet, quantum habeant emolumentum, cum pecunia mutuantur. Ubi vero spatium loci & exiguitas nullam habuerit pensionem, aut exstru-* *Prædia Urbana.*

ctio cujus est ardua difficilisque molitio aut decus sumptuosum, aut (ut est plerumque liberale institutum) habitationem quis suam urbis ornamento adjecerit, nolumus munificentiam, quæ postmodum addita est, improbam licitationem æstimationis excipere, sed vetusta potius loci species & pensio cogitetur, quam cultus hodiernus, qui industria hominis animosi accessit. Ad prædia urbana etiam referuntur Salinæ, *l. forma §. salinæ ff. de Cens.* & cum proventus & reditus exinde provenientes sæpe varient & inconstantes sint, ideo etiam sæpius erunt revidendæ, imo, si commodum visum fuerit, quotannis. Sic etiam huc pertinent Molendina, quæ etiam Revisioni sunt obnoxia, *Menoch. consil. 1201. n. 50.* quorum varia sunt genera, Wasser- Wind- Roß- Korn- Mühlen, Oehl- Päpier- Schleiff- Walck- Mühlen, imo etiam officinæ ferrariæ, Schmeltz- und Hammer- Hütten, vitrariæ, ubi vitra conflantur &c. Hæc omnia sub Revisionem cadunt, & pro ratione augmenti, vel decrementi describuntur, Rövenstr. Rechtl. Bedenck. §. 30. *Klock. de contribut. c. 17. n. 61. seq.*

Salinæ.

Molendina.

Officinæ ferrariæ & similes.

§. V.

Revidenda porro veniunt (3.) lucra & commoda ex industria, artificio vel opificio obvenientia, & quidem potissimum, quæ ex mercatura proveniunt, nam cum merces mercatoribus loco mobilium sint, & secundum LL. domicilii æstimentur, merito etiam collectis subjacent, *l. filii §. fin. ff. ad Municipal. l. 18. §. 18. & 22. ff. de muner. & honor. l. semper §. 8. de jur. immun. Menoch. conf. 9. per tot. Decian. conf. 69. n. 1. 2. vol. 3.* & in Revisione Catastri pro eorum conditione vel pingviori, vel viliori facta collectantur. Nec deficit ratio, cum mercatores eorumque merces sub securitate & defensione sint illius Magistratus, qui collectas imponit, ergo etiam pro commodo, quod ex præstatione securitatis percipiunt, collectas præstare non detrectabunt. Nec obstat, quod nonnulli dicant, merces mercatorum non esse oneribus subjiciendas, quia multis fortunæ casibus sunt expositæ, *Cravett. conf. 497. n. 3. v. 5.* nam non nisi ratione lucri imponuntur collectæ, quo cessante, vel minore effecto, cessat etiam Revisio & onus consvetum. Nec tantum in loco domicilii catastrari & revideri possunt mercatores, sed

Lucra ex industria vel artificio venientia.

Ex mercatura.

ſed ubique locorum, ubi tabernas ſuas habent, & negotiationes exercent, ratione mercium, quas ibi habent, *Brunnemann. ad L. 4. ff. de cenſ.* Optandum quoque eſſet, ut ſimul conſilia ſuſciperentur de effreni mercatorum licentia coërcenda; qua in dividendis mercibus, poſthabita plane conſcientia, utuntur: publice enim intereſt, ut juſto pretio quævis præbeantur, rerumque omnium affluens copia ſit, *Nov. 24. c. 3.* & ſuperfluæ merces a quocunque libere vendentur, neceſſariæ emantur, *l. 1. pr. verſ. quod alteri ff. de contrah. empt. auth. præterea C. de SS. Eccleſ.* Sed hoc vix per tributi auctionem efficietur, cum aucto tributo, mercatores quoque pretia rerum pro lubitu creſcere faciant, de qua re valde conqueritur *Thomat. de muner. §. expoſuimus n. 16.* quod collectæ non tam in Mercatorum, quam emptorum gravamen redundent. Monopolis quoque pro lucri & commodi ratione onus imponendum & augendum, cum enim peſtilens hominum genus ſit & Reipubl. maxime noxium, ut ideo etiam ſub pœna confiſcationis olim fuerint prohibita, *l. un. C. de monopol. R. I. de A. 1548.* von den ſchädlichen *Monopolien, de A. 1577. art. 18.* Imo cum lucrum, quod plures habere poſſent, ſoli percipiant, eorum quoque in collectarum impoſitione præ aliis habenda ratio. Proſtant etiam variæ Principum conſtitutiones contra mercatorum licentiam, ſed cum executione careant, ſunt inſtar campanæ ſine piſtillo. *Monopolæ.*

Huc pertinent opifices, venatores, piſcatores, braxatores, & quilibet alii artifices, qui in duas claſſes ſolent dividi. Prima eſt eorum, quorum opificia adeo neceſſaria, ut iis nullo tempore commode carere poſſimus, ut piſtorum, lanionum, ſutorum, ſartorum, qui & belli & pacis tempore in Republ. adeſſe debent, & horum quia pingvior conditio ac lucra majora, ideo etiam majora ferent onera. Secunda eorum, quorum opificia non ubique, nec omni tempore neceſſaria, ut textorum, pannificum, fabrorum lignariorum, figulorum &c. hi in diſtributione collectarum minoris æſtimabuntur. Unusquisque enim in tantum concurrere debet ad collectam, quantum fert modus ſuæ poſſeſſio- *Opifices Venatores &c. Duæ claſſes Opificum. Prima. Secunda.*

fessionis & non ultra, *l. 1. C. a quibus mun. nem. lic. se excus. L. 2. de annon. & tribut. l. fin. C. de immun. nem. conced. l. 1. C. de muner. patrim.* & ita ratio hujus pensitationis ineunda, ut eis necessaria pro sustentatione suorum reserventur. *Thomas. de collect. c. exposuimus n. 14. Roland a Valle cons. 66. n. 23.*

§. VI.

Nomina Schulden. Revidenda porro sunt (4.) Nomina certa & exigibilia, actiones & annui reditus, sive sint perpetui, sive temporales, sive ex re immobili, sive ex contractu vel qualibet conventione debeantur. *Annui reditus.* Nam licet annui reditus interdum inter immobilia reputentur, si non sint ad modicum tempus constituti, *Gail. 2. Obs. 10.* magis tamen placet eorum opinio, qui neque mobilibus, neque inmobilibus accenseant, sed tertiam & singularem speciem constituunt, quæ est jus sive actio ad illos exigendum, *Klock. de contribut. c. 11. §. 72.* Censendi autem sunt in eo loco, ubi debentur, *R. I. de Ann. 1544.* §. Und damit der Kirchen. Horum autem Registratio admodum difficilis, quia homines hæc libenter occultare solent, nec facile quis inveniatur, qui candide & sincere omnia profiteatur. Hæc nomina debent esse certa & exigibilia; nam si incerta vel emortua, ad nihil tenebitur subditus, quia nihil percipit, interim tamen in æstimi revisione annotanda. De reditibus annuis prostat *R. I. de A. 1542. & 1544.* ubi modus certus præscribitur, qui tamen hodie non adeo stricte observatur, sed hic indistincte pro quantitate fructuum & redituum, deductis impensis, computatio fieri debet, *Klock. de contrib. c. 17. §. 66. Rövenstr. tr. sæpe alleg. §. 31. & 38.* *Lucra ex servitio.* Hinc etiam volunt lucra & obventiones ex servitio registrari & censeri debere, uti factum in Imperio Roman. A. 1542. ut patet ex *Recessu Imp. ejusd. anni Spiræ habit.* §. Und wiewohl & secundum *Ordin. Regim.* zu Augspurg *de A. 1500.* ubi quilibet servus vel ancilla de quolibet floreno sexagesimam floreni partem conferre debuit, ad expeditionem Turcicam; quod tamen extra hunc casum extremæ necessitatis extendi non debet. Idem dicendum de Salariatis Officiariis, qui a Principibus ingentia & magna salaria quotannis percipiunt, hos quoque urgente necessitate publica portionem quandam salarii in publicum usum conferre

ferre debere. *Wilh.* Neu-Meyer von Schatzungen *c. 7. p. 492. n. 10.*

§. VII.

Porro jam in Cataſtri Reviſione revidenda veniunt (5.) Bona mobilia, ut pecunia fœnori expoſita, ſive ſub cambiis Argentariis data. *Cravett. conſ. 497. n. 1. Natta conſ. 48. n. 4. & conſ. 418. n. 6. & conſ. 433. n. 5.* item pecunia commutata, quæ tamen cum plus lucretur, quam pecunia fœnori expoſita, ideo etiam gravius cenſeri debet, juxta tenorem *R. I. de A. 1544.* §. Und dieweil nun. Item pecunia in emptionem prædii cum pacto de retrovendendo collata, cum enim hæc certos & interdum locupletes ferat fructus, maxime etiam erit cenſenda. Hic incidit quæſtio de mundo nudiebri, lapidibus pretioſis, annulis, clinodiis, vaſis aureis & argenteis, an hæc etiam in Reviſione Cataſtri deſcribenda, & collectis oneranda? Et affirmatur prius, negatur poſterius. Cum enim hæ res ſint otioſæ, & nullos ferant fructus, poſſeſſiones ſteriles autem, quæ non afferunt aliquam utilitatem, non gravari debeant, eo quod iſtud eſt onus fructuum, *l. neque ſi ſtipendium ff. de imp. in reb. dot. fact.* & nemo plus oneris ſuſtineat, quam emolumenti & lucri ex rebus capiat, & tributa iniqua non ſint exigenda, *auth. ſed & C. ſine cenſ. vel reliquis*, imo non niſi ad ſolam pompam & inanem gloriam adhibeantur, nulla de iis poterit dari collecta: Facile tamen concederem, ſi in pœnam eorum imponeretur, qui præter ſtatus conditionem plus ejusmodi rebus impendunt, quam debent, vel Reipubl. ſalutare. Interim tamen & hæc bona in Cataſtra poterunt deſcribi. *Klock. de contrib. c. 11. §. 67.*

Bona mobilia.

Pecunia fœnori expoſita.

Qu. an etiam mundus mulieris.

§. VIII.

Materiam in qua, ſive Subjectum noſtræ Reviſionis erunt omnes ſubditi, nemine excepto. Sive ſit Clericus, ſ. Laicus, ſ. Nobilis, ſ. plebejus, ſ. incola, ſ. peregrinus, omnes in Cataſtri Reviſione deſcribendi & conſignandi ſunt a Peræquatoribus. Negari quidem non poteſt, eſſe nonnullos, qui a collectarum munere dicuntur immunes, & hoc vel ex ſpeciali privilegio & conceſſione, vel ex præſcriptione, vel recepta loci conſuetudine. Poſſe enim alicui concedi immu-

Subjectum Reviſionis.

immunitatem, omni caret dubio, cum quilibet de suo pro lubitu statuere possit, sed tunc remissam collectam ex suo ærario præstare debet Princeps, ne alii accrescat remissum onus, secundum *Cassiodorum l. 2. var. Epist. 17.* munificentiam nostram nulli volumus esse damnosam, ne quod alteri tribuitur, alterius dispendiis applicetur. Nec inferri a quoquam volumus, quod alteri nostra largitate remisimus, ne (quod dictu nefas est) bene meriti munus innocentis contingat dispendium.

§. IX.

De immunitate Clericorum.

De immunitate Clericorum communis omnium DD. sententia est, eos ab ordinariis collectis eximendos, quod etiam Jus Civile & Canonicum suis sanctionibus confirmat, *de SS. Eccl. auth. item nulla & l. 33. §. 7. C. de Episc. & Cleric. c. non minus &c. adversus x. de immun. Eccl,* ubi etiam anathemate terrentur illi, qui Ecclesiasticas personas collectis subjicere ausi fuerint. Huic opinioni omnes Doctores Pontificii, & plurimi etiam ex nostratibus assentiuntur, & hanc assertionem de Ecclesiasticorum libertate acerrime propugnant. Hæc tamen si simpliciter & sine omni restrictione dicantur, vix poterunt admitti, utpote cum leges & consvetudines hanc Clericorum immunitatem certis limitibus includant. Sic igitur statuo, a muneribus personalibus semper & ubique immunes esse debere Clericos, & hoc ex summa ratione ac æquitate, ne, dum sacris & precibus intenti esse deberent, & animarum invigilare saluti, per ejusmodi temporales res avocentur & distrahantur. Hinc liberi sunt ab hospitationibus propter insignes molestias, quas secum ferre solent milites in iis domibus, quas inhabitant, *l. 1. C. de Episc. & Cler. arg. l. 6. de profess. Medic. c. 1. x. de immunit. Eccles.* ne turbentur eorum preces ac meditationes, aut eorum personæ, quæ reverenter habendæ, lædantur. A muneribus patrimonialibus tam ordinariis quam extraordinariis, immunia sunt omnia Ecclesiæ bona, tam Jure Divino, *Lev. 27. Esdr. 4. v. 27. Gerh. de Magistr. polit. §. 440. Balduin. Cas. Conscient. l. 4. c. 12. cas. 13. & 14.* quam Civili, *l. 5. & l. 22. C. de SS. Eccl.* ubi ab omnibus tributis immunes pronunciantur, nisi bona Ecclesiastica, antequam ad Eccle-

siam

ſiam devenerunt, fuerint onerata, tunc enim res tranſit cum ſuo onere, *l. 5. §. fin. ff. de cenſ. l. 67. ff. de contrah. empt. Andr. Knichen de veſtit. pact. P. 2. c. 3. n. 38. Everhard. conſ. 30. n. 25. Klock. de contrib. c. 19. n. 32.* De reliquo etiam ſumma ratio ſvadet, ab omnibus tam extraordinariis, quam ordinariis oneribus eximi Clericos & bona Eccleſiæ, utpote cum bona, quæ DEO ejusque Eccleſiæ dicata & conſecrata, nullum in alium uſum, præterquam cultus divini, converti debeant. Nam licet Reipubl. conſervatio etiam ſalvam reddat Eccleſiam, & in eum finem tributa exſolvantur, ut ſalva & incolumis Respubl. conſervari poſſit, nec fas ſit, ibi debitam aſſiſtentiam detrectare, ubi ſummum ſperatur commodum; Interim tamen, quia verus cultus divinus, preces & vigiliæ etiam non parum conferunt ad Reipubl. ſalutem, pium ac æquum eſt, eos ab oneribus liberos præſtare, qui ſacris ejusmodi negotiis vacant. Imprimis ſi aliunde Respubl. habere poſſit, unde ſuſtentetur & conſervetur. Aliud fortaſſis dicendum, ſi abundantia ſint Eccleſiæ bona, & proventus exinde venientes immodici, ibi enim potius in Reipubl. commodum aliquid decerpendum, quam permittendum, ut luxui Clericorum inſerviant, & nimia hac opulentia pietas ac religio ſuffocetur. Quicquid in contrarium contra immunitatem hanc afferri ſolet, quamvis non plane de nihilo, aut æquitati incongruum ſit, attamen obſervantia ubique aliud introductum, quæ ſummum meretur favorem, præſertim in tanta Eccleſiarum noſtrarum paupertate. Excipiuntur tamen hi caſus, ſi Respubl. *Exceptio.* in ſummo diſcrimine conſtituta, bellicis vel aliis publicis neceſſitatibus affligatur, ut in expeditionibus Turcicis, *l. 11. C. de SS. Eccleſ. l. 2. C. de quib. munerib. vel præſtat. nem. liceat ſe excuſ. R. I.* zu Cölln *A. 1512.* §. Wo aber Geiſtl. Perſohnen &c. *R. I.* zu Speyer *A. 1542.* §. Wir haben auch ꝛc. §. Und wiewohl in dem jüngſten ꝛc. Et hic obtinet vulgaris regula, quod omnes tangit, ab omnibus curari, portari & ſublevari debet. Si enim Res periclitatur publica, omnino juſtum eſt, ut omnes, qui ſunt in Republ. ſuccurrant, ac laboranti bono publico opem ferant, *Klock. de contribut. c. 12. n. 212.* ubi in ſeqq. plures proponit limitationes, quando

Clerici

Clerici ad solutionem tributorum sint obstricti, *Annaus Robertus rer. judic. l. 2. c. 2. Dedeken. in Consil. Theol. tit.* vom Predig-Ambt *sect. 4. n. 10.* Porro excipitur casus, si Clerici habeant bona privata & patrimonialia, quæ onera non respuunt, *Carpzov. l. 2. def. 311.* Imo hic causæ cognitionem Domino supremo territorii relinquerem, quando & in quantum bona Ecclesiæ & Clericorum censenda, sufficit probasse, non illicitum esse, ingruente necessitate, tributa iis imponere, nec facile quis reperietur qui hoc suo privilegio urgente necessitate se tueri velit, vel voluntati Superioris in hoc refragari. Exemplum habemus omnium exemplorum Salvatorem nostrum JESUM CHRISTUM, qui, cum Dominus esset totius hujus Universi, Rex Regum & Dominus Dominantium, tamen non immunis esse voluit, sed Cæsari censum dare jussit, & ipse pro se ac Petro exsolvit, *Matth. 22.* Hodie, ne in fraudem fisci & tributorum aliquid fiat, multis in locis speciali lege prohibitum, ne bona immobilia in Clericos alienentur, cum enim Ecclesia habeat manus mortuas, nec facile restituat, quæ semel tenet, hac ratione huic malo prospicere voluerunt Magistratus, *Carol. Molinaus ad consvet. Paris. tit. 1. §. 51. Petr. Gregor. Tholos. Synt. Jur. Univers. l. 6. c. 5. n. 17. & l. 15. c. 37. n. 4. Renat. Choppin. de Doman. Regn. Franc. l. 2. c. 13.*

§. X.

Nobilium. Nobiles privilegium itidem eximit ab ordinariis muneribus, utpote quam immunitatem propterea acquisivit Equestris ordo, quia onera olim belli portavit solus, & nemo nisi Nobilis militabat, *Besold. c. 4. de Ærario n. 20.* Hodie ideo habent, quia tenentur equos alere, weil sie Ritter-Pferde halten müssen, ad aulam Principis citati comparere, zu Hofe kommen, in expeditionibus comitari, quod sæpius magnis suis sumtibus faciunt, & alia, si requirantur, officia præstare. Iniquum igitur foret, duplici illos subjicere oneri & præter servitia bellica ad provinciales quoque collectas præstandas adstringere. Sunt igitur omnino immunes Nobiles ab omnibus collectis. Quicquid etiam in contrarium dicatur, ob supra allatas rationes, ita ut non nisi summa & extrema urgente necessitate collectari possint, hac enim ingruente,

ingruente, nec Nobiles a collectis se excusabunt, sed a summis Nobilibus usque ad infimos plebejos & populares sarcina decurret, *l. 1. C. de quib. mun. nem. se excus.* cum generale sit, quod immunitas a collectis concessa non extendatur ad eas, quæ nova necessitate imponuntur, vel similes ob causas, *Petr. Frid. Mindan.* post alios, quos allegat *l. 2. de Mandat. Judic. c. 45. n. 12. seq. Alth. l. 2. Dicoeolog. c. 3. n. 69.* Ejusmodi necessitas est Tempus belli, & in specie Turcici, & expresse cautum videmus in R. I. præter collectam Turcicam, nullam aliam Germaniæ Nobilitati imponi posse, uti videre est in *Recessu Augustan. A. 1500.* ubi expresse statuitur, quod Nobiles in Imperio immediate in præstandis collectis partem hujus ferant. Ex quo concludi posse credo, a cæteris collectis Germaniæ Nobiles plane debere esse immunes; Non enim specialiter dispositum fuisset de collecta Turcica, si ad omnes sustinendas fuissent obligati. Habent igitur & fruuntur hac immunitate partim ex Cæsareo privilegio, partim ex præscriptione, partim ex consvetudine, *Gvid. Papa Decis. 384. Tiraquell. Tract. de Nobil. c. 20. n. 68. Mynsing. Decad. 15. Resp. 1. n. 39. 44. seq.* Videatur pluribus de Nobilium immunitate *Spangenberg.* im Adel-Spiegel, *p. 2. l. 11. c. 19. Phflug. de Rep. Germ. Tessaur. quæst. forens. 8. Guid. Papa decis. 384. Thomat. de collect. §. 1. molestia n. 4. §. exaction. 33. seq.* In Revisione interim Catastri non erunt omittendi Nobiles, non quidem eum in finem, ut censeantur, sed ut notum fiat, an præter bona feudalia & libera etiam alia possideant tributis obnoxia, quod hodie non adeo infrequens. Quoad ejusmodi enim bona non erunt immunes, sed saltem ratione feudorum, pro quibus servitia præstant. *Speidel. Specul. Variar. Observ. & notab. verb.* Steuer.

§. XI.

A Revisione & collectatione videntur eximendi Forenses, utpote in quos externo Principi nulla jurisdictio ratione personæ competit. Collectæ autem ratione jurisdictionis in personam imponuntur, quæ non exercetur, nisi in subditos, quales non sunt Forenses, *Cravett. consil. 195. n. 1. Natta cons. 105. n. 8. Fulv. Pacian. cons. 5. n. 8.* & cum fo- *Forensium.*

renses

renses nec honores, nec dignitates, aut alia loci beneficia ac privilegia, percipiant, hinc & naturalis ratio jubet, ut nec collectis onerentur. Sed quicquid horum sit, nihilominus forenses collectarum oneri se non poterunt subtrahere, utpote quæ non semper ratione personarum, sed potissimum ratione bonorum imponuntur, & tenetur utique forensis ratione prædiorum, in collectantis territorio sitorum, collectam solvere. *Mynſ. Reſp. 64. n. 50. decad. 7.* maxime si ob communem utilitatem imponatur, cujus pars etiam ad forenses redundat, ut si pro tuitione territorii fiat, in quo forensis sua habet prædia, vel refectione mœniorum, ubi domicilia possidet, tunc enim quia sentit commodum forensis, & incommodum suscipere non detrectabit. Imo & personis forensium sarcina collectarum imponetur, si vel consvetudine, vel immemoriali præscriptione hoc ita fuerit introductum, *Sixtin. de Regal. l. 2. c. 14. n. 30. 34.* Plures casus, ubi forenses collectandi, singulatim recenset *Bocerus de collectis c. 9. n. 12. seq. Klock. de contribut. c. 13. sect. 1. §. 8. seq.* quo me brevitatis causa remitto. In hoc utique peccatur & peccatur maxime, quod majora plerumque onera forensibus pro suis bonis imponantur, quam ipsis civibus, qui tamen duplici gaudent protectione, & personæ & rerum, cum forenses ea tantum ratione rerum fruantur, & summe necessarium foret, ut huic inæquitati per publica Edicta occurreretur. Videatur omnino de collectatione forensium *Frantzkius var. resolut. 20.* ubi asserit, quod si collecta propter avertendam jamjam imminentem deprædationem authoritate Magistratus oppidanis imponatur, quod ad illam forenses, qui in districtu oppidi latifundia possident, non teneantur, & *Bocer. de collect. c. 11. §. 12. & 13. Thomat. de collect. §. 1. n. 9. & §. sane 13. verſ. Forensis an possit compelli. Natta conſ. 218. Tuſchus verb. Onera. Heig. p. 1. q. 17. n. 13. Joh. Pappon. l. 5. t. 2. arreſt. 2. & 10. Gvido Deciſ. 372. & 887. Mynſ. cent. 5. obſ. 22. Gail. 2. obſ. 53. Brunnem. in L. 1. C. de Muner. Philipp. Poſt. l. 5. concluſ. 3. Cephalus conſil. 515. n. 4. & conſ. 568. n. 5. l. 4. Maul. de Jur. inter Dom. & ſubd. tit. 9. n. 40. R. I. de A. 1500. 1542. 1544. Chriſtin. Vol. I. Deciſ. 269. Beſold. c. 5. de Ærar. n. 3. & 4.*

Medina

Medina de reb. rest. qu. 15. ubi dicit, quod forenses teneantur de iis rebus, quas vendunt, tributa solvere, non vero ad collectas, quæ solis subditis imponuntur. Si igitur forenses collectandi, uti ex supra allatis patet, in Revisione Catastri quoque non omittendi erunt, sed eodem modo, quo alii subditi hic attendi debet, an eorum bona in territorio collectantis vel aucta fuerint, vel imminuta.

§. XII.

Pauperes a collectis ipsa necessitas eximit: Interim tamen in Catastri Revisione eorum etiam habenda ratio, ita ut quoad personas quidem consignentur; tributis vero non onerentur & deinde in hunc quoque finem, ut inquiri possit, an vera, an vero fictitia fuerit paupertas, nam quoties quis ad paupertatis beneficia provocat, eget probatione ejusdem, nec sine hac fidem habet, *Mascard. de probat. conclus. 1159. n. 3. Covarr. var. resolut. c. 6. n. 2. Rol. a Valle cons. 20. n. 60. vol. 2.* Dicuntur autem hic pauperes, qui alimenta non habent, vel unde vivant, sed victum industria & labore manuum quærunt, quorum vita mercenaria in diem est. Ratio est, cur tributis non subjiciendi, quia inanis actio, quam excludit inopia debitoris, *l. 15. ff. de dol. mal.* & injustum utique esset, illos velle tributis vexare, quos summa vexat inopia, quorum facultates singuli dies metiuntur, & qui tantum habent, quantum quotidie emendicare possunt. Hic enim obtinet illud vulgare, quod qui nihil habet, nihil dabit, wo nichts ist, hat der Keyser sein Recht verlohren. Et hoc privilegium habent ex Jure Divino, *Levit. XXVII. v. 8.* Jure Communi, *l. cura §. inopes ff. de munerib. l. f. C. de his, qui num. liber. l. illicitas §. ne tenuis ff. de offic. Præsid.* Jure Canonico, *per c. 4. x. de Censib.* Jure Imperiali, *R. I. de A. 1582.* §. Und nachdem *in fin. A. 1594.* §. Und daß den Unterthanen. *A. 1598.* §. Und daß den Unterthanen, quod etiam tempore Matthiæ *I. A. 1613. mens. Octobr. in Comit. Ratisb.* de novo inculcatum, §. Und dann daß den Unterthanen. *ibi:* Die erarmte und erschöpffte. Imo hæc est communis DD. opinio, *Rol. a Valle cons. 66. n. 5. & 20. vol. 1. Thomat. de collect. §. retenta n. 11. Petr. Rebuff. tract. de Privil. univers. l. 1. privil. 90. Wesemb. cons. 103. n. 45.*

Pauperum.

Bocerus de collect. c. 11. n. 1. & 2. Nec intereſt, quomodo ad paupertatem pervenerint, an lapſi bonis *Gail. de Arreſt. c. 9. n. 20.* modo paupertatem probaverint, vel notoria fuerit.

Valetudinarii. Huc referunt nonnulli valetudinarios & perpetuo morbo conflictantes, utpote qui ſibi ipſis ad ſufficientem victum acquirendum vix ſufficiunt, de quibus videatur *Bocer. de collect. c. 11. n. 2. Petr. de Ubaldis tr. de collect. n. 23. Regner. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 14. n. 19.* Cœcos eximit Jus Canonicum, *c. 4. X. de cenſib.* De famulis, ancillis, Herrenloſen Geſinde, diſpoſitum videmus in *R. I. de A. 1542. Spir.* §. Und wiewohl. und in der Regiments-Ordn. *A. 1500.* & in *Inſtruct.* der *Reviſion* im Hertzogthum Magdeburg §. *14.* In cauſa contributionum quis proprie dicatur pauper, non poteſt adeo certe determinari, & Reviſorum arbitrio relinquendum. *Menoch. de A. I. Q. l. 2. cent. I. caſ. 65. n. 7. & conſ. 433. n. 12. Klock. de contrib. c. 13. ſect. 2. §. 73.*

§. XIII.

Doctores & Profeſſores. In Reviſione Cataſtri etiam ut privilegiati occurrunt Doctores Legum, & quoniam hi multis honoribus ac privilegiis ab Imperatoribus ac Principibus fuerunt inſigniti, cum Nobilibus & in equeſtri dignitate conſtitutis comparari ſolent. Hinc Ulpianus JCtus per Imperatorem appellatur nobilis, *l. 2. §. fin. ff. de excuſat. tut.* nobiliſſimus, *l. dicemus ff. d. t.* Doctor nominatur amicus Imperatoris, *l. Divi fratres ff. de jur. patr.* Maxime autem eorum immunitas fundata eſt in *l. un. C. de præpoſ. labor.* ubi Impp. Honorius & Theodoſius ſingulariter in hanc rem reſcripſerunt, quod immunitate digni ſint, & in *l. 6. C. de Profeſſ. & Medic.* ubi dicitur, quod Profeſſores ab omnibus functionibus, & ab omnibus oneribus, vel civilibus, vel publicis eximantur, quod etiam ad extraordinaria munera extendere ſolent, per *l. 6. & 8. ff. de Vacat. mun. l. 6. C. de prox. ſacr. ſcrin.* Hanc DD. immunitatem plurimi eo extendunt, ut eam indiſtincte concedant, etiam ab oneribus patrimonialibus tam ordinariis, quam extraordinariis, quos longa ſerie citatos vide *a Klock. de contribut. c. 15. paſſim.* Ego, ut paucis me expediam, ita

ita statuo, quod & DD. Revisioni Catastri se subjicere debeant, nec ullo modo se eximere possint, nisi speciali & personali privilegio aliquis sit munitus. Nam licet extra casum necessitatis tuti sint a collectandi onere, & eadem cum Nobilibus habeant privilegia, interim tamen catastrari poterunt & ratione personæ & facultatum, cum & sæpissime bona in patrimonio habeant, quæ aliunde acquisita cum onere ad eos transierunt & necessitate ingruente non minus de suo pro ratione & quantitate facultatum conferre teneantur, quam alii. Si enim communis ingruat necessitas, omnium promiscue erit, ei medelam quærere. Quod de Doctoribus dictum, ulterius extenditur ad Advocatos & *Advocati.* causarum patronos, quorum singularis laus exprimitur *l. 14. C. de Advoc. divers. judic.* hi etiam ab omnibus collectis, tam personalibus, quam realibus immunes sunt, uti pluribus deducit *Excell. Dn. Stryk. pecul. Disp. de privileg. Advoc.* De advocatis & Procuratoribus, qui nulla bona in territorio possident, specialiter dispositum invenio, in der *Instruction* der *Revisoren* des Hertzogthums Magdeb. §. 13. Daß diejenigen *Advocaten* und *Procuratoren*, so im Lande nicht angesessen, und dennoch ein grosses Monathlich mit der *Praxi* erwerben, nach billigmäßiger *Proportion*, davon Monatlich ein gewisses zur *Cootricution* geben sollen. De Scholaribus & Doctoribus sive Præceptoribus in Scholis trivialibus, Studiosis & omnibus denique in genere liberalium artium cultoribus, dico, quod hi excusentur ab omnibus muneribus, imprimis personalibus, utpote quibus ob studia vacare non possunt, imo & realibus, nisi extrema urgente necessitate, *l. 1. & 2. C. qui ætat. & profess. Petr. Rebuff. de Privileg. univers. l. 1. privil. 149.*

§. XIV.

Si quis duodecim liberorum pater fuerit, per *l. 24. C. de Decurion.* immunitate a collectis tam patrimonialibus, quam personalibus de Jure Civili gaudet. An igitur & hic in Revisione Catastri omittendus? Et Res. negando, quia enim istud privilegium est plane personale, & duntaxat ad dies vitæ durat, ad minimum erit catastrandus ratione facultatum, ut de earum quantitate constet, imo cum immunitas semper restringenda sit ad terminos habiles, & intersit *Pater 12. Liberorum.*

Rei-

Reipubl. ejusmodi civem, qui tot personis civitati assistere potest, suum ipsi non detrectare officium, ante omnia attendendum esse dicerem, an sit dives & magnarum facultatum possessor, an vero pauper, vel curtæ supellectilis dominus, *Menoch. conf. 1026. n. 5. Tessaur. Decis. 267. Garzias decis. 4. Bocer. de collect. c. 11. n. 5. Surdus conf. 146. n. 16. Rol. a Valle conf. 65. n. 35. vol. 1.*

§. XV.

Specialiter privilegiati. Tandem de specialiter privilegiatis adhuc pauca subjiciam, quibus vacatio ista a Principe speciali privilegio est concessa, *l. 11. ibi: præterquam quibus Principali beneficio concessum est. ff. de vacat. & excus. mun. l. un. C. de iis, qui a Princip. vacat. acceper. l. 17. §. 3. ff. de excusat.* Hi utique summo jure hac semel concessa immunitate quiete frui debent, quicquid etiam ex *l. 7. C. de annon. & trib. l. 19. C. de Decur. l. ult. C. divers. præd. urban. & rust. l. ult. §. ab hujusmodi ff. de muner. & honor. l. 1. C. de indict. l. 16. C. de SS. Eccl.* in contrarium concludere velint Doctores. Nam omnes hæ leges hoc præsupponunt, quod immunitas ista concessa sit in præjudicium tertii, & talem concessionem damnant ut illicitam & impiam. Sed si Princeps ex singulari gratia, vel ex titulo oneroso alicui libertatem ab oneribus concedat, ita, ut ista libertas nemini præjudicet, sed ex fisco tantum decrescere velit, quantum concessum, non video, qua ratione hæc Principis clementia, vel reprehendi, vel impediri possit, hinc in ejusmodi formularibus concessionum immunitatis hæc annecti solet clausula: Und wann ein oder ander darüber, daß etwas von solchen *Oneribus* ihm *accresciren* oder abgehen thäte, mit Fug sich beschwehren könte und würde, wollen wir und unsere Nachkommen alle solche Beschwehrungen über uns nehmen, und denenselben also *remediren*, daß unsere *Concessio Immunitatum* niemand einige *Auction* oder *Afflictionver*ursache ꝛc. Si tamen in tali concessione immunitatis casus necessitatis non etiam specialiter expressus fuerit, videtur exceptus, imprimis in collectis Turcicis, uti ex R. I. patet, qui arguunt, quod licet Status nonnulli a contributionibus publicis immunitate fruantur, attamen contra Turcicas contributiones prætendi privilegium non possit, *R. I. de A. 1495. tit.*

tit. Von dem gemeinen Pfennig. *de A. 1500. tit.* Von Söldnern, wie die auffgesetzet und gehalten werden sollen. *A. 1542.* §. Und wiewohl. *A. 1544.* §. Und nehmlich sollen alle. ita ut ejusmodi privilegiatus etiam in tali casu necessitatis ad collectas teneatur. *Vid. Bocer. de collect. c. 11. n. 48. seq. Mynsing. Resp. I. n. 98. decad. 11. & Cent. 4. Obs. 70. Cacheran. Decis. Pedemont. 39. n. 20.*

CAP. V.

DE

CAVSA FORMALI REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

FOrma dat esse rei, & quicquid est, per formam suam est, si scil. aliquam habet, *Stahl. Reg. Philos. p. 2. dist. 9. Reg. 2. & 4.* est commune Philosophorum effatum, & per quod aliquid in suo esse constituitur, illud alicujus rei appellatur forma. Forma autem Revisionis Catastri fere eadem erit, quæ ipsius Catastri. Nam idem fere processus adhibetur in Revisione Catastri, qui ab initio in ejus confectione adhibebatur, *Cravetta cons. 195. n. 5. Festas. de collect. p. 1. c. 1.* nempe solers & diligens omnium personarum & facultatum descriptio; & erit Revisionis Catastri forma nihil aliud, quam diligens, accurata ac reiterata omnium subditorum & facultatum designatio, facta a Revisoribus s. peræquatoribus ad normam antiquiorum librorum censualium, ita ut ante omnia meliorationes & deteriorationes, incrementa & decrementa diligenter investigentur & annotentur. Quam etiam formam præscriptam invenio in *Instruct.* der *Revisoren* des Hertzogthums Magdeburg §. 3. Sollen die Steuer-Register, wornach die An- *Forma Revisionis Catastri.*

 lagen

lagen biß anhero eingerichtet gewesen, absorderen und *examiniren*, ob auch nach Gelegenheit iedes Orthes alle Güther darinnen zu finden, und bißanhero versteuret worden, oder ob hierinnen ein Abgang, und aus was Ursachen derselbe, vorkommen, damit alles, was der Steuer, nach gemeinen und *Provincial*-Rechten unterworffen, dem *Catastro* einverleibet werden möge, und zwar ohne eintzigen Unterscheid, es werden solche Stücke von Welt- oder Geistlichen besessen.

§. II.

De Officio Revisorum. Occasione hujus aliquid dicendum venit de Revisoribus s. Peræquatoribus & eorum officio, quod in his potissimum consistit, (1.) ut cujusque loci Magistratum de suo adventu præmoneant, & de præparatoriis informent, quemadmodum præscriptum in *Instruct.* der *Revisoren* im Hertzogthum Magdeb. §. 1. Damit bey der *Revision* desto geschwinder verfahren werden könne, soll iedes Orthes Obrigkeit die Ankunfft der *Revisoren* zuvor *notificiret* werden, und dieselbe erinnert und angemahnet werden, daß sie ohne allen Verzug auf das genaueste untersuche, was bey dem Orthe an Aeckern, Wiesen 2c. und wem dasselbe zuständig, auch von solchen allen eine richtige *Designation* nebenst denen in den Städten vorhandenen Bürger- und Steuer-Rollen denen *Revisoren* bey ihrer Ankunfft übergeben. (2.) Ut conscribant æstimum, & reforment coram Syndico vel defensore communitatum, *Brunnem. ad L. 10. C. de suscept.* Ratio est in eo, quod hi optime sciant cujusque fere facultates & personarum conditionem, ut si fortassis de deterioratione rerum censibilium conquerantur subditi, Magistratus cujusque loci de hujus rei veritate & qua ratione factum fuerit, testari possit. (3.) Citare debent omnes, quorum interest, per publicum proclama, vel emissos ministros, ut certo tempore coram Revisoribus appareant, & sua bona profiteantur, eaque in æstimum referri & taxari videant. Nam in æstimatione alicujus universalis territorii sufficit vocare Rectores, Syndicos vel defensores alicujus communitatis, *Bart. in L. Susceptores C. de suscept. Festas. de collectis c. 1. n. 12.* Sed in Renovatione vel Revisione Catastri præcise requiritur, ut singuli rerum possessores a Peræquatoribus citentur, alias Catastratio ipsis nec prode-

proderit, nec nocebit *argum. l. 64. ff. de A. R. D. l. 7. & 8. C. de donat. Brunnem. ad L. 4. C. de cens.* (4.) Unicuique in specie juramentum Revisionis imponant, uti specialiter quoque cautum *in sæpe alleg. Instruct.* §. 2. Wann die *Revisores in termino præfixo* ankommen, sollen sie an iedem Orthe den hiebey gefügten Eydt von der Obrigkeit und *Commun* nehmen, und so wohl die Obrigkeit als *Commun* dabey verwarnen, daß Sie, nach dem abgelegten Eyde, eine richtige *Profession* ihres Vermögens thun. Formula Juramenti in moderna Revisione adhiberi solita hæc est: Ich schwehre zu GOTT dem Allmächtigen, daß ich mein Vermögen bey ietziger *Revision*, richtig angeben, nichts an alle dem, worauff ich befraget werde, verhalten, noch einigen Betrug oder Hinterlist suchen, sondern hierinn mich also bezeigen will, wie es Seiner Chur-Fürstlichen Durchl. zu Brandenburg, unseres gnädigsten Erb- und Landes-Herrn und des Orths Nutzen und Frommen erfordert, so wahr mir GOTT helffe und sein heiliges Evangelium. (5.) Curabunt, ut debita omnium bonorum fiat professio, quæ professio etiam certis punctis inclusa & typis excusa reperitur, hic tamen melioris cognitionis causa inserere operæ pretium duxi. Quæritur igitur primo: Was er vor unbewegliche Güther an Aeckern, Wiesen, Holtz-Marcken, Pächten, Zehenden, Teichen, Fischereyen, Gärten, Trifften, Hut- und Koppel-Weiden; Cabeln und Gemein Theilen, Mühlen, Stein-Brüchen, Theer- und Salpeter-Hütten, Krügen, Schencken, Häußern, Saltzwercken, auch jährlich stehenden Renten und andern unbeweglichen Stücken habe, und wie hoch er iedes unbeweglich Stücke Guths jährlich nutze? (2.) Was er an Zinßbahrer Baarschafft habe, und damit jährlich gewinne? (3.) Was er ausser dem vor Gewerb und Handthierung habe, und damit jährlich nach allen drauffgehenden Kosten, gewinne? (4.) Ob und auff was Maße die angezeigte ohnbewegliche Stücke beschwehret, sonderlich aber, ob Kirchen, Schuhlen, Hospitalien und andere Leute Zinßbahre ab- oder unäblegliche *Capitalia* darauff haben? (5.) Wie viel er bißher zu ieder Anlage gesteuret? (6.) Wie viel er jährlich der Anlagen gegeben? (7.) Auf was Maße die Anlagen selbiges Orthes eingerichtet? (8.) Ob die Steuer jederzeit nach der Ausschreibung, so im Lande ge-

Articuli, ad quos respondere debent subditi.

 sche-

schehen, von der Obrigkeit *exigi*ret und eingetrieben? (9) Oder ob unter dem Vorwand der im Lande ausgeschriebenen Steuer ein mehres bey der *Subcollectation* und Eintreibung der Steuer gefodert und gehoben sey? (10.) Wie hoch sich solches das Jahr betragen? (11.) Ob er auch Güther, und was vor welche, an einigem Orthe habe, wo das Gebiete streitig, und an keinem Orthe die Steuer davon abgegeben worden? (12.) Ob er von iemand Güther in Pacht habe, und wie viel er davon Pacht-Geld gebe? (13.) Ob er oder der Eigenthums-Herr die Steuer davon abstatte? (14.) Ob er sich der bißherigen Steuer halben zu beschwehren habe, und woher die Beschwehrung rühre? (15.) Wie viel er *Moventia* oder nutzbahres Rind- und Schaff-auch Pferde-Vieh, so nicht zum Zug gehörig, nach seinem Vermögen und fleißiger Haußhaltung halten könne? (16.) Wie hoch er sein gantz Steurbahres Vermögen auff den geleisteten Eyd schätze? (6) Bona ita professa taxabunt, & pro eorum conditione collectis onerabunt, cujus forma præscripta in alleg. *Instruct.* der *Revisoren* des Hertzogthums Magdeburg §. 17. Wann dieses alles erfolget, ist das gantze Vermögen des Landes in Anschlag zu bringen, und nach dessen Beschaffenheit ein gewisses auff ieden 100. Nutzung, doch daß es den zehenden Pfennig nicht übersteige, zusetzen, damit das Monathliche *Contingent* ohne *Ruin* der Unterthanen heraus kommen möge. Et hæc de officio Revisorum.

§. III.

An recte fiat professio?

Circa professionem bonorum, adhuc nonnulla occurrunt dubia, quæ hic explanare animus est. Et quidem durum videtur ac nimis rigidum minusque Christianum, cogere velle subditum ad professionem facultatum suarum, quas fortassis summo ac difficili labore conquisivit, & uti Impp. Theodos. ac Valent. loquuntur in *l. 2. C. quando & quib. quart. pars.* nihil tam durum tamque inhumanum sit, quam publicatione pompaque rerum familiarium & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias: & *l. 2. C. de alim. pupill. præst.* interventu judicis secreta patrimonii non sunt scrutanda, interim tamen utilitas publica & favor justitiæ ac æquitatis in collectarum distributione introducendæ, quicquid hic durum posset videri, facile emolliri potest.

Cum

Cum enim nulla alia ratione, æqualis onerum distributio haberi queat, merito Princeps vel summus Magistratus his utitur remediis ad finem suum obtinendum & Reipubl. utilitatem comparandam. Ulterius quæritur: Quomodo bonorum fieri debeat professio, an jurato, an vero sine juramento? Et negari non potest, invaluisse jam dudum in Germania nostra hanc consvetudinem, ut cives vel subditi per juramentum adigantur, ad faciendam bonorum suorum professionem. Sed merito ambigitur, an hic modus censendi cives sit omnino salutaris & Reipubl. proficuus. Principis enim est utriusque curam gerere, & animarum & corporum subditorum, ut neutrum ullo modo lædatur, vel detrimentum patiatur; nihil autem est, quo salus animæ majori periculo exponitur, quam juramenti delatione, adeo, ut qui sciens sinit aliquem jurare, ubi metus perjurii subest, homicida habeatur, nec quisquam perjuriis viam aperire debeat, *Tabor. loc. commun. l. 14. c. 23. ax. 7.* Jam autem impossibile prope est, in hac universali ab omnibus facta bonorum professione jurata, nulla committi perjuria, cum insuper multi erroneam hanc & impiam foveant opinionem, talia juramenta esse coacta & vi extorta, ex quorum præstatione nemo obligetur, juxta illud vulgatum, gezwungen Eyd, ist GOTT leyd: quod in quantum valeat, quilibet pius & conscientiosus facile dijudicabit. Abstinendum igitur omnino putarem a tali jurata professione, ne, dum salus Reipubl. quæritur, innumerarum animarum salus periclitetur, & in ejus locum substituendam talem professionem, quæ adjectam haberet clausulam pœnalem, nempe pœnam commissi & confiscationis, si quid celatum fuerit, vel non professum. Eo enim hodie, proh dolor! perventum, ut excœcati homines majorum facultatum suarum, quam animarum habeant rationem, nec peccare credant, ubi non peccare sine damno non possunt. Fateor equidem juratam professionem etiam in LL. Civilibus fundatam, *l. 2. C. quando & quib. quart.* item LL. Imperii, *R. I. de A. 1544.* §. Damit aber die ꝛc. & consvetudine approbatam, *Carpzov. l. 4. R. 74.* interim tamen & contraria opinio suos omni tempore habuit fautores inter JCtos, *vid. Rövenstr.* im

An etiam recte jurata?

 Rechtl.

Rechtl. Bedencken, cum annexo *Responso Jur. Facult. Marpurg. Klock. de contribut. c. 17. §. 78. & alii.* Ego summi Principis hæc omnia relinquo arbitrio.

§. IV.

Ad formam Revisionis etiam pertinet omnium omnino bonorum consignatio s. descriptio, eorum æstimatio, & proportionata onerum distributio. Hæc autem æstimatio ut sit justa, & rite expediatur, fieri debet a rerum peritis, in re præsenti citato ad id possessore, uti rescriptum in *Instruction* der *Revisoren* des Hertzogthums Magdeburg §. 9. In Anschlagung der Güther aber würde auff die *Taxa*, so iedes Orths üblich, zu sehen, auch jede Hufe und Acker in denen Gerichten, worunter er gelegen, und also *in loco rei sitæ* zur *Peræquation* zu bringen seyn. Non autem ad pretiositatem vel valorem rei, sed potius ad fructus in taxatione respiciendum. Ad modum enim fructuum collectæ imponuntur, utpote in quibus semper habetur major respectus ad reditus, quam ad rem ipsam, *l. si dependentes ff. de Usufr. l. 4. §. si actor ff. de re judic. Gilman. p. 2. tit. 6. vol. 5. n. 31. Supplic. Cameral.* ita ut si fructus majores, majora etiam possessori onera imponantur, si minores, minora. Maxime autem in Revisione Catastri respectus habetur ad incrementa & decrementa facultatum, quæ post primam Catastri confectionem subditis obvenerunt, hæc accurate solent notari, & norma ac cynosura esse debent, secundum quæ tributa imponantur, 2. Regum XXIII. v. 36. ne tantum pauperibus imponatur, quantum divitibus 2. Reg. XV. v. 20. Hinc plane sublato fundo vel prædio, unde census solvebatur, ut si chasmate perierit, etiam plane cessabit census, quia hæc semper quasi clausula subintelligitur, rebus sic stantibus & in eodem statu permanentibus. Nam cessante causa census, cessat & census ipse, & deficiente causa constituti, deficit etiam constitutum ipsum, *Rövenstr. l. c. §. 191. seq.* ubi etiam formulam, secundum quam census imponendus, exhibet. §. 309. quo me remitto.

Quomodo bonorum æstimatio fieri debeat?

§. V.

His omnibus rite peractis, sequitur tandem novi Catastri confectio, in quod personæ & bona, prout professa fuerunt,

Catastri Confectio quomodo instituenda?

fuerunt, designanda & æstimanda. Hoc autem fieri debet a Revisoribus in præsentia Magistratus & communitatis cujusque loci, ut quilibet videre possit, se rite in æstimo descriptum, & sic de æstimi justitia ac æquitate testimonium perhibere. Deinde Superiori ad confirmationem insinuari debet Catastrum, utpote quæ confirmatio tandem plenissimum robur addit publicis ejusmodi constitutionibus, quo facto subsequitur publicatio & intimatio, ad quam iterum Magistratus loci & communitates citantur, simulque admonentur, ut secundum tenorem hujus Catastri, tributa imposita libere & incoacte semper solvant: Si vero contigerit, ut unus vel alter in facultatibus suis damnum patiatur, aut incrementum sentiat, illud vigore semel præstiti juramenti, Magistratui suo denunciabit, & vel augmentum, vel diminutionem impositi oneris expectabit, uti expresse etiam sancitum in sæpe alleg. *Instruct.* der *Revisoren* im Hertzogthum Magdeburg §. *ult.* Nach diesem allen soll jedes Orthes *Catastrum* eingerichtet, und von denen *Revisoren*, in Beysein der Obrigkeit und *Commun publiciret*, dabey auch denen Unterthanen angedeutet werden, daß wann ihr Vermögen sich verminderte oder verbesserte, sie es nach dem Eyde, welchen sie itzo geleistet haben, der Obrigkeit so fort anzeigen, und darauff die Erhöhung oder Verminderung ihres Steuer-*Contingents* gewärtig seyn sollen.

§. VI.

Antequam hoc caput finio, paucis etiam de forma adæquationis in Imperio nostro Rom. Germ. & inprimis in nostro Ducatu recepta quædam subjiciam. Antiquissimus & jam dudum inveteratus mos est, collectas secundum certam aliquam bonorum proportionem imponere, ita ut hujus rei etiam vestigia in Sacris inveniamus, *Genes. XLVII. v. 24.* ubi quintam partem ex reditibus agrorum Pharaoni dare jussit Joseph, Pro-Rex Ægypti. De Romanorum veterum censura supra cap. II. quædam fuerunt dicta, quo me remitto. In Recessibus Imperii duplicem collectandi modum invenimus, primum per æs & libram, qui olim maxime fuit frequentatus in collectione des gemeinen Pfenniges, & justissimus nominatur, *R. I. 1542.* §. Und wiewohl derhalben &

De modo collectandi in Imper. & Ducatu Magdeb.

maxi-

maximopere Imperii Statibus commendetur in Comitiis A. 1608. ideo, quia secundum eum non tantum subditi, sed etiam Electores, Principes, civitates, imo omnes pro ratione suarum facultatum collectantur, nemine plane exempto, qui modus collectandi etiam fuit comprobatus auff dem Creyß-Tages Abschiede zu Braunschweig *in Mart. A. 1622. ubi statutum :* Daß ein jeder *sine discrimine* den hundersten Pfennig zur Anlage zu Erhaltung des *Defension*-Werckes zahlen und eintheilen solle, welcher aber unter 100. fl. werth hat, soll von 20. fl. 2. gl. und welcher unter 20. fl. werth hat, soll 1. gl. 4. Pf. geben. Et hic modus collectandi ab An. 1495. usque ad A. 1521. duravit, quamvis interim septem Imperii Recessus fuerint habiti, ubi in *Comitiis Wormatiensibus* §. *Item* haben wir uns weiter. alius modus fuit introductus, qui vocatur nach dem Römer-Zug. s. juxta Matriculam Imperii, ubi Statibus collectæ ita imponuntur, ut illis liberum relinquatur, collectas inter subditos iterum pro lubitu distribuere. De utroque modo in *Comitiis Ratisbonensibus A. 1598. & 1603.* valde fuit disceptatum, interim tamen posterior frequentior, & in nostro Imperio hodie receptus ac approbatus.

§. VII.

Ab hac communi collectandi modo recedunt sæpius Jura Provincialia, quæ pro subditorum statu ac conditione distributionem instituere solent. Ego in præsens de aliorum consvetudinibus non ero sollicitus, sed de patriis moribus quædam adjiciam, qua ratione & proportione collectarum hic fiat distributio.

§. VIII.

Modus collectandi Superiori Seculo.

Sciendum igitur est, superiori seculo usque ad Annum 1581. tributa tantum agris fuisse imposita, ita ut centesimus ubique nummus loco tributi penderetur, uti Taxa in Archivo, cujus copia inter Acta Provincialia asservatur, testatur. Postmodum cum hæc quantitas non sufficeret, deliberatum fuit, quomodo tributum centesimi nummi posset augeri; & ab initio inter se convenerunt : (1.) Ut opifices, qui nullas haberent proprietates, & ideo olim a collectis immunes, justa habita bonorum proportione, taxarentur. (2.) Clerici, Capitulares, Abbates &c. tertiam partem

annuo-

annuorum redituum conferrent. (3.) Nobiles quintam vel sextam suorum proventuum contribuerent. Et hæc Taxa aliquantisper stetit, donec tempore Alberti, Cardinalis, Electoris Moguntini, Archi-Episcopi Magdeburgensis, Marchionis Brandenburgici, nova Taxa constituta, quæ de omnibus bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, quinquagesimum & tandem septuagesimum, nummum, tributi loco exigeret.

§. IX.

Et hæc fuit prima origo septuagesimi nummi oder des siebenzigsten Pfenniges, qui modus collectandi adhuc hodie in patria mea frequentatur. De hujus impositione, reperitur adhuc vetus aliquod documentum, cujus tenor cum paucissimis cognitus, ad pleniorem autem hujus rei notitiam non parum conferat, operæ pretium esse duxi, potissima capita exinde excerpere. Et quidem primo continet instructionem, quæ tunc temporis Taxatoribus data, in qua jubetur, ut adhibitis cujusque loci Magistratibus omnia oppida ac pagi, item cœnobia & loca sacra, præstito juramento, suas facultates profiterentur, & convenienti pretio taxarentur, ut postmodum secundum hujus pretii quantitatem, loco tributi, cuilibet solutio LXX. nummi imponeretur, *Instruct.* der *Taxatoren de A. 1531.* §. *1. usque 5.* (2.) Qua ratione inquisitio in facultates fieri debeat, §. *5.* & *6.* præscribitur. (3.) Tributa in loco rei sitæ esse solvenda, licet possessor in alieno territorio habitet, §. *7.* (4.) Quomodo unusquisque in specie examinandus, & quænam bona profiteri debeat, §. *8. seq.* (5.) Omnia bona collectanda, sive sint feudalia, sive hereditaria, sive propria, sive jure coloni possideantur, §. *12.* (6.) Qui nulla bona propria habent, de 40. gl. salario unum, loco tributi, solvent, exceptis tamen illis, qui Nobilibus, Prælatis & Magistratibus civitatum serviunt, §. *17.* (7.) Opiliones, carnifices, meretrices, lenones, molitores in specie taxari jubentur §. *20. seq.* (8.) Magistratus etiam, item die Innungen, confraternitates & omnes communitates, qui prædia, decimas, prata, lacus s. Teiche, molendina & similia, sive mobilia, sive immobilia possident, etiam taxandæ &

Origo des siebenzigsten Pfenniges.

allibrandæ. (9.) Specialis taxa additur Clericorum & bonorum Clericalium, quod illa quoque Antistites Ecclesiarum jurato debeant profiteri, & non secus, ac aliorum Laicorum, secundum septuagesimum nummum collectari. Hæc sunt potissima capita, quæ in hac Instructione continentur, cui postmodum annectuntur juramenta Taxatorum & Receptorum.

§. X.

Libri Professionum antiqui.

Hi libri Professionum & Taxationum A. 1531. confecti, continebant cujuslibet loci bona, quomodo professa, & taxata, & collectæ septuagesimi nummi subjecta, & diu in Archivo, quod in arce Mauritii Halæ erat, fuerunt asservati, adhuc A. 1608. uti inventarium, jussu Reverend. Capituli, tum temporis sede vacante, confectum testatur, qui libri Professionum sex constabant voluminibus. Qua ratione & quo tempore postmodum hi libri fuerint deperditi, de hoc non constat. Dolenda utique maxime est hæc jactura, utpote quæ causa fuit multarum confusionum, maxime vero, quod tempore pie defuncti Serenissimi Dn. Administratoris AUGUSTI nulla generalis potuerit fieri exæquatio, sed cuilibet loco in specie, pro qualitate damni perpessi fuerit facta remissio ac moderatio tributi, quæ remissa ac moderata a matricula detracta, eam non parum debilitarunt, ut hinc multiplicatio & reiterata impositio septuagesimi nummi eo sæpius fieri debuerit.

CAP. VI.

DE

FINALI CAVSA REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

Querelæ de inæqualitate Collectarum.

NUllæ calamitoso hoc tempore frequentiores exaudiuntur querelæ, quam miserorum subditorum, qui sub tributorum oneribus fere exanimes jacent & vix spiritum ducunt, omnes fere uno ore se miserrimos esse dicunt, & de crudeli exactorum sævitia querelas ingeminant.

geminant. Si causam quæras, nullam aliam invenies, quam injunctorum tributorum iniquam ac inæqualem distributionem, & quod omnis potentiorum sarcina ad inferiores transfertur, *l. 1. C. de cens.* Huic igitur malo ut debita opponatur medela, Catastri solet institui Revisio, utpote cujus unicus hic solet esse finis, Æquitas & publica Utilitas. Et ob summum hujus æquitatis favorem, volunt Doctores, etiam ad unius instantiam posse Catastrum mutari ac revideri. Nam quamvis necessaria omnino sint tributa, & ob id etiam laudabilia, speciem tamen & vultum illaudabilem sumunt, si non perite administrentur, & insitum illis odium certis quasi fomentis emolliatur. Inter quæ remedia imprimis æqualitas & generalis adæquatio tam de Jure Civil. communi, quam novissimo, *R. I. de Ann. 1542. & 1544.* zu Speyer. commendatur, ubi in colligenda nummula ad collectam Turcicam summa ubique æqualitas fuit observata. Vix enim credas, inquit *Lipsius 4. Polit. 11.* ubi inæqualitas adest, quantum augeatur insita humano generi invidia, ut pari dolore aliena commoda ac suas injurias metiantur. Hic est ille finis, qui ex Catastri Revisione fluere debet, æquitas hæc nisi primario unice intendatur, nihil recte agetur. *Finis Revisionis.*

§. II.

Accessorius finis etiam esse potest hic, ut Princeps numerum & capita ac facultates subditorum suorum sciat, ut, si fortassis belli vel alia calamitas ingruat, de viribus regni sui constet, an ipse sibi consulere possit, an vero aliorum necesse habeat requirere subsidia. Denique ut sit norma, quam exactores tributorum observent, & secundum quam unumquemque ex subditis ad onera solvenda adigant, ita ut quanti quisque descriptus in æstimo fuerit, tantum & non plus nec minus quilibet conferre teneatur. Imo etiam eo fine, ut exinde conjiciatur, quinam contributioni sint addicti, qui vero liberi & immunes &c. *Klock. de contrib. c. 20. §. 386.* ubi plures citantur. *Alius finis Revisionis.*

CAP. VII.

DE EFFECTIBUS REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

Effectus Revisionis Primus.

EFfectus Revisionis varii possunt constitui, uti effectus ipsius Catastri non sunt unius generis. Sic (1.) effectus Revisionis est, quod per Revisionem bonorum & descriptionem in publicum Catastrum contrahatur, de novo hypotheca publica & quasi consensus, ad præstandam collectam pro ea quantitate, qua in Æstimo descriptus est, *Thomat. de collect. §. sine num. 3. & 11.* quæ obligatio rem uniuscujusque, imprimis immobilem, adeo afficit, ut simul cum ea transeat in quemcunque possessorem. Quemadmodum enim per Catastrationem contrahitur quasi obligatio personalis & realis, *l. 4. C. de agricol. l. fin. ibi, si passi sunt. de veteran. Gail. 2. obs. 52. n. 24. Tessaur. Decis. 164. n. 3.* ita multo magis per Catastri Revisionem talis inducetur obligatio.

§. II.

Effectus secundus.

Alius effectus est, quod Revisioni Catastri plena tribuatur fides, ita ut omnis in illo descriptus, quantitatem collectæ sibi impositæ, sine ulla mora teneatur solvere, nec eum juvet, quod rem alienaverit; tamdiu enim pro novo possessore collectas solvere tenetur, donec res in æstimum ementis fuerint relatæ. Potest tamen ab emptore illud, quod solutum fuit, repetere, utili actione negotiorum gestorum, *arg. l. 6. § 3. ff. de neg. gest. Rol. a Valle Vol. 1. Consil. 32. n. 15. Barthol. Socin. cons. 143. n. 1. vers. praterea respondeo.* Quæritur hic: An liberum sit possessori, rem in Catastrum relatam, cui libuerit, vendere? Et respond. neg. cum enim Reipubl. intersit, ne res in talem emptorem transferatur, qui ad collectas rei inhærentes solvendas, minus sit idoneus, ideo non licebit in inidoneum rei possessionem transferre, sed æque idoneus erit eligendus. Si secus fiat, prior possessor ab onere collectarum non liberabitur, sed nihilominus, etiam re venditá, adhuc solvere tenebitur

An res in Catastrum relata liberé possit vendi?

bitur per expressam *l. 3. C. de præd. & omnibus reb. navicul.* ubi dicitur, quod si ad minus idoneum res fuerit translata, etiam auctores transscripti prædii teneantur obnoxii, & *Nov. 17. c. 8. §. 1.* declaratur, quis pro inidoneo emptore habendus, it. *authent. sed & peric. C. sine cens.*

§. III.

Ex Revisione Catastri etiam hic fluit effectus, quod exinde præsumatur jurisdictio, ita ut qui in Revisione iterum in Catastrum relatus, etiam jurisdictioni istius loci, ubi Revisio facta, se subjicere teneatur. Illud tamen tantum intellectum volo ratione rei in Catastrum relatæ, quod nimirum ista res sit illius jurisdictionis, cujus est catastrum, *Nicol. de Passer. de privat. script. l. 5. q. 1. n. 34.* Personæ enim subjectionem hoc necessario non arguit. Deinde etiam limitatur & restringitur hæc assertio, quod tantum valeat in immatriculato, qui scienter fuit catastratus; nam si inscius & non citatus a Revisoribus fortassis ex errore in Catastrum fuerit relatus, illud non fundabit jurisdictionem, utpote quæ in inscium & invitum non exercetur. Catastrum enim neque dominium, neque possessionem, probat contra eum, qui scriptura non consensit, neque interfuit, *Montan. c. 64. n. 5. Mascard. de probat. conclus. 273. n. 2. 3. & 7.* Notanter etiam dictum, quod præsumatur jurisdictio ex descriptione in Catastrum. Nam communis Doctorum opinio est, quod solus liber censualis non faciat plenam probationem, interim tamen si cum aliis adminiculis concurrat, oriri exinde præsumptionem, *Hieron. de Monte de finibus regund. c. 64. Corne cons. 333. n. 9. vers. sin autem probaretur l. 1.* ubi dicit Catastrum non mediocre signum & argumentum præbere, quod bona ibi descripta sint illius territorii, cujus est Catastrum. *Paris. cons. 104. n. 69. Seraphin. Olivar. Razzal. Decis. 1061. n. 5. & 1077. n. 2.* *Effectus tertius.*

§. IV.

Hoc etiam operatur Revisio Catastri, quod ita reiterata descriptio, contra eos, qui de tributorum inæqualitate conquesti, & de novo se inscribi passi sunt, conventionem inducat & quasi contractum, inscriptum ad inscriptæ quantitatis solutionem obligari, quæ obligatio necessitatem solvendi & præstandi continet, *l. 3. ff. de O. & A. l. 5. C. eod. l. 1. 5. l. stipu-* *Effectus quartus.*

Reipubl. ejusmodi civem, qui tot personis civitati assistere potest, suum ipsi non detrectare officium, ante omnia attendendum esse dicerem, an sit dives & magnarum facultatum possessor, an vero pauper, vel curtæ supellectilis dominus, *Menoch. cons. 1026. n. 5. Tessaur. Decis. 267. Garzias decis. 4. Bocer. de collect. c. 11. n. 5. Surdus cons. 146. n. 16. Rol. a Valle cons. 65. n. 35. vol. 1.*

§. XV.

Specialiter privilegiati. Tandem de specialiter privilegiatis adhuc pauca subjiciam, quibus vacatio ista a Principe speciali privilegio est concessa, *l. 11. ibi: præterquam quibus Principali beneficio concessum est. ff. de vacat. & excus. mun. l. un. C. de iis, qui a Princip. vacat. acceper. l. 17. §. 3. ff. de excusat.* Hi utique summo jure hac semel concessa immunitate quiete frui debent, quicquid etiam ex *l. 7. C. de annon. & trib. l. 19. C. de Decur. l. ult. C. divers. præd. urban. & rust. l. ult. §. ab hujusmodi ff. de muner. & honor. l. 1. C. de indict. l. 16. C. de SS. Eccl.* in contrarium concludere velint Doctores. Nam omnes hæ leges hoc præsupponunt, quod immunitas ista concessa sit in præjudicium tertii, & talem concessionem damnant ut illicitam & impiam. Sed si Princeps ex singulari gratia, vel ex titulo oneroso alicui libertatem ab oneribus concedat, ita, ut ista libertas nemini præjudicet, sed ex fisco tantum decrescere velit, quantum concessum, non video, qua ratione hæc Principis clementia, vel reprehendi, vel impediri possit, hinc in ejusmodi formularibus concessionum immunitatis hæc annecti solet clausula: Und wann ein oder ander darüber, daß etwas von solchen *Oneribus* ihm *accresciren* oder abgehen thäte, mit Fug sich beschwehren könte und würde, wollen wir und unsere Nachkommen alle solche Beschwehrungen über uns nehmen, und denenselben also *remediren*, daß unsere *Concessio Immunitatum* niemand einige *Auction* oder *Affliction* verursache &c. Si tamen in tali concessione immunitatis casus necessitatis non etiam specialiter expressus fuerit, videtur exceptus, imprimis in collectis Turcicis, uti ex R. I. patet, qui arguunt, quod licet Status nonnulli a contributionibus publicis immunitate fruantur, attamen contra Turcicas contributiones prætendi privilegium non possit, *R. I. de A. 1495. tit.*

tit. Von dem gemeinen Pfennig. *de A. 1500. tit.* Von Söldnern, wie die auffgesetzet und gehalten werden sollen. *A. 1542.* §. Und wiewohl. *A. 1544.* §. Und nehmlich sollen alle. ita ut ejusmodi privilegiatus etiam in tali casu necessitatis ad collectas teneatur. *Vid. Bocer. de collect. c. 11. n. 48. seq. Mynsing. Resp. I. n. 98. decad. 11. & Cent. 4. Obs. 70. Cacheran. Decis. Pedemont. 39. n. 20.*

CAP. V.

DE

CAVSA FORMALI REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

FOrma dat esse rei, & quicquid est, per formam suam est, si scil. aliquam habet, *Stahl. Reg. Philos. p. 2. dist. 9. Reg. 2. & 4.* est commune Philosophorum effatum, & per quod aliquid in suo esse constituitur, illud alicujus rei appellatur forma. Forma autem Revisionis Catastri fere eadem erit, quæ ipsius Catastri. Nam idem fere processus adhibetur in Revisione Catastri, qui ab initio in ejus confectione adhibebatur, *Cravetta cons. 195. n. 5. Festas. de collect. p. 1. c. 1.* nempe solers & diligens omnium personarum & facultatum descriptio; & erit Revisionis Catastri forma nihil aliud, quam diligens, accurata ac reiterata omnium subditorum & facultatum designatio, facta a Revisoribus s. peræquatoribus ad normam antiquiorum librorum censualium, ita ut ante omnia meliorationes & deteriorationes, incrementa & decrementa diligenter investigentur & annotentur. Quam etiam formam præscriptam invenio in *Instruct.* der *Revisoren* des Hertzogthums Magdeburg §. 3. Sollen die Steuer-Register, wornach die Anlagen *Forma Revisionis Catastri.*

lagen

lagen biß anhero eingerichtet gewesen, absorderen und *examiniren*, ob auch nach Gelegenheit iedes Orthes alle Güther darinnen zu finden, und bißanhero versteuret worden, oder ob hierinnen ein Abgang, und aus was Ursachen derselbe, vorkommen, damit alles, was der Steuer, nach gemeinen und *Provincial*-Rechten unterworffen, dem *Catastro* einverleibet werden möge, und zwar ohne eintzigen Unterscheid, es werden solche Stücke von Welt- oder Geistlichen besessen.

§. II.

De Officio Revisorum. Occasione hujus aliquid dicendum venit de Revisoribus s. Peræquatoribus & eorum officio, quod in his potissimum consistit, (1.) ut cujusque loci Magistratum de suo adventu præmoneant, & de præparatoriis informent, quemadmodum præscriptum in *Instruct.* der *Revisoren* im Hertzogthum Magdeb. §. 1. Damit bey der *Revision* desto geschwinder verfahren werden könne, soll iedes Orthes Obrigkeit die Ankunfft der *Revisoren* zuvor *notificir*et werden, und dieselbe erinnert und angemahnet werden, daß sie ohne allen Verzug auf das genaueste untersuche, was bey dem Orthe an Aeckern, Wiesen &c. und wem dasselbe zuständig, auch von solchen allen eine richtige *Designation* nebenst denen in den Städten vorhandenen Bürger- und Steuer-Rollen denen *Revisoren* bey ihrer Ankunfft übergeben. (2.) Ut conscribant æstimum, & reforment coram Syndico vel defensore communitatum, *Brunnem. ad L. 10. C. de suscept.* Ratio est in eo, quod hi optime sciant cujusque fere facultates & personarum conditionem, ut si fortassis de deterioratione rerum censibilium conquerantur subditi, Magistratus cujusque loci de hujus rei veritate & qua ratione factum fuerit, testari possit. (3.) Citare debent omnes, quorum interest, per publicum proclama, vel emissos ministros, ut certo tempore coram Revisoribus appareant, & sua bona profiteantur, eaque in æstimum referri & taxari videant. Nam in æstimatione alicujus universalis territorii sufficit vocare Rectores, Syndicos vel defensores alicujus communitatis, *Bart. in L. Susceptores C. de suscept. Festas. de collectis c. 1. n. 12.* Sed in Renovatione vel Revisione Catastri præcise requiritur, ut singuli rerum possessores a Peræquatoribus citentur, alias Catastratio ipsis nec

prode-

proderit, nec nocebit *argum. l. 64. ff. de A. R. D. l. 7. & 8. C. de donat. Brunnem. ad L. 4. C. de cens.* (4.) Unicuique in specie juramentum Revisionis imponant, uti specialiter quoque cautum *in sæpe alleg. Instruct.* §. 2. Wann die *Revisores in termino præfixo* ankommen, sollen sie an iedem Orthe den hiebey gefügten Eydt von der Obrigkeit und *Commun* nehmen, und so wohl die Obrigkeit als *Commun* dabey verwarnen, daß Sie, nach dem abgelegten Eyde, eine richtige *Profession* ihres Vermögens thun. Formula Juramenti in moderna Revisione adhiberi solita hæc est: Ich schwehre zu GOTT dem Allmächtigen, daß ich mein Vermögen bey ietziger *Revision*, richtig angeben, nichts an alle dem, worauff ich befraget werde, verhalten, noch einigen Betrug oder Hinterlist suchen, sondern hierinn mich also bezeigen will, wie es Seiner Chur-Fürstlichen Durchl. zu Brandenburg, unseres gnädigsten Erb- und Landes-Herrn und des Orths Nutzen und Frommen erfordert, so wahr mir GOTT helffe und sein heiliges Evangelium. (5.) Curabunt, ut debita omnium bonorum fiat professio, quæ professio etiam certis punctis inclusa & typis excusa reperitur, hic tamen melioris cognitionis causa inserere operæ pretium duxi. Quæritur igitur primo: Was er vor unbewegliche Güther an Aeckern, Wiesen, Holtz-Marcken, Pächten, Zehenden, Teichen, Fischereyen, Gärten, Trifften, Hut- und Koppel-Weiden, Cabeln und Gemein Theilen, Mühlen, Stein-Brüchen, Theer- und Salpeter-Hütten, Krügen, Schencken, Häusern, Saltzwercken, auch jährlich stehenden Renten und andern unbeweglichen Stücken habe, und wie hoch er iedes unbeweglich Stücke Guths jährlich nutze? (2.) Was er an Zinßbahrer Baarschafft habe, und damit jährlich gewinne? (3.) Was er ausser dem vor Gewerb und Handthierung habe, und damit jährlich nach allen drauffgehenden Kosten, gewinne? (4.) Ob und auff was Maße die angezeigte ohnbewegliche Stücke beschwehret, sonderlich aber, ob Kirchen, Schuhlen, Hospitalien und andere Leute Zinßbahre ab- oder unablegliche *Capitalia* darauff haben? (5.) Wie viel er bißher zu ieder Anlage gesteuret? (6.) Wie viel er jährlich der Anlagen gegeben? (7.) Auf was Maße die Anlagen selbiges Orthes eingerichtet? (8.) Ob die Steuer iederzeit nach der Außschreibung, so im Lande gesche-

Articuli, ad quos respondere debent subditi.

schehen, von der Obrigkeit *exigi*ret und eingetrieben? (9) Oder ob unter dem Vorwand der im Lande ausgeschriebenen Steuer ein mehres bey der *Subcollectation* und Eintreibung der Steuer gefodert und gehoben sey? (10.) Wie hoch sich solches das Jahr betragen? (11.) Ob er auch Güther, und was vor welche, an einigem Orthe habe, wo das Gebiete streitig, und an keinem Orthe die Steuer davon abgegeben worden? (12.) Ob er von iemand Güther in Pacht habe, und wie viel er davon Pacht-Geld gebe? (13.) Ob er oder der Eigenthums-Herr die Steuer davon abstatte? (14.) Ob er sich der bißherigen Steuer halben zu beschwehren habe, und woher die Beschwehrung rühre? (15.) Wie viel er *Moventia* oder nutzbahres Rind- und Schaff-auch Pferde-Vieh, so nicht zum Zug gehörig, nach seinem Vermögen und fleißiger Haußhaltung halten könne? (16.) Wie hoch er sein gantz Steurbahres Vermögen auff den geleisteten Eyd schätze? (6) Bona ita professa taxabunt, & pro eorum conditione collectis onerabunt, cujus forma præscripta in alleg. *Instruct.* der *Revisoren* des Hertzogthums Magdeburg §. 17. Wann dieses alles erfolget, ist das gantze Vermögen des Landes in Anschlag zu bringen, und nach dessen Beschaffenheit ein gewisses auff ieden 100. Nutzung, doch daß es den zehenden Pfennig nicht übersteige, zusetzen, damit das Monathliche *Contingent* ohne *Ruin* der Unterthanen heraus kommen möge. Et hæc de officio Revisorum.

§. III.

An recte fiat professio? Circa professionem bonorum, adhuc nonnulla occurrunt dubia, quæ hic explanare animus est. Et quidem durum videtur ac nimis rigidum minusque Christianum, cogere velle subditum ad professionem facultatum suarum, quas fortassis summo ac difficili labore conquisivit, & uti Impp. Theodos. ac Valent. loquuntur in *l. 2. C. quando & quib. quart. pars.* nihil tam durum tamque inhumanum sit, quam publicatione pompaque rerum familiarium & paupertatis deregi vilitatem, & invidiæ exponere divitias: & *l. 2. C. de alim. pupill. præst.* interventu judicis secreta patrimonii non sunt scrutanda, interim tamen utilitas publica & favor justitiæ ac æquitatis in collectarum distributione introducendæ, quicquid hic durum posset videri, facile emolliri potest.

Cum

Cum enim nulla alia ratione, æqualis onerum distributio haberi queat, merito Princeps vel summus Magistratus his utitur remediis ad finem suum obtinendum & Reipubl. utilitatem comparandam. Ulterius quæritur: Quomodo bonorum fieri debeat professio, an jurato, an vero sine juramento? Et negari non potest, invaluisse jam dudum in Germania nostra hanc consvetudinem, ut cives vel subditi per juramentum adigantur, ad faciendam bonorum suorum professionem. Sed merito ambigitur, an hic modus censendi cives sit omnino salutaris & Reipubl. proficuus. Principis enim est utriusque curam gerere, & animarum & corporum subditorum, ut neutrum ullo modo lædatur, vel detrimentum patiatur; nihil autem est, quo salus animæ majori periculo exponitur, quam juramenti delatione, adeo, ut qui sciens sinit aliquem jurare, ubi metus perjurii subest, homicida habeatur, nec quisquam perjuriis viam aperire debeat, *Tabor. loc. commun. l. 14. c. 23. ax. 7.* Jam autem impossibile prope est, in hac universali ab omnibus facta bonorum professione jurata, nulla committi perjuria, cum insuper multi erroneam hanc & impiam foveant opinionem, talia juramenta esse coacta & vi extorta, ex quorum præstatione nemo obligetur, juxta illud vulgatum, gezwungen Eyd, ist GOTT leyd: quod in quantum valeat, quilibet pius & conscientiosus facile dijudicabit. Abstinendum igitur omnino putarem a tali jurata professione, ne, dum salus Reipubl. quæritur, innumerarum animarum salus periclitetur, & in ejus locum substituendam talem professionem, quæ adjectam haberet clausulam pœnalem, nempe pœnam commissi & confiscationis, si quid celatum fuerit, vel non professum. Eo enim hodie, proh dolor! perventum, ut excœcati homines majorum facultatum suarum, quam animarum habeant rationem, nec peccare credant, ubi non peccare sine damno non possunt. Fateor equidem juratam professionem etiam in LL. Civilibus fundatam, *l. 2. C. quando & quib. quart.* item LL. Imperii, *R. I. de A. 1544.* §. Damit aber die 2c. & consvetudine approbatam, *Carpzov. l. 4. R. 74.* interim tamen & contraria opinio suos omni tempore habuit fautores inter JCtos, *vid. Rövenstr.* im

An etiam recte jurata?

Rechtl.

Rechtl. Bedencken, cum annexo *Responso Jur. Facult. Marpurg. Klock. de contribut. c. 17. §. 78. & alii.* Ego summi Principis hæc omnia relinquo arbitrio.

§. IV.

Quomodo bonorum æstimatio fieri debeat?

Ad formam Revisionis etiam pertinet omnium omnino bonorum consignatio s. descriptio, eorum æstimatio, & proportionata onerum distributio. Hæc autem æstimatio ut sit justa, & rite expediatur, fieri debet a rerum peritis, in re præsenti citato ad id possessore, uti rescriptum in *Instruction* der *Revisören* des Hertzogthums Magdeburg §. 9. In Anschlagung der Güther aber würde auff die *Taxa*, so iedes Orths üblich, zu sehen, auch jede Hufe und Acker in denen Gerichten, worunter er gelegen, und also *in loco rei sita* zur *Peræquation* zu bringen seyn. Non autem ad pretiositatem vel valorem rei, sed potius ad fructus in taxatione respiciendum. Ad modum enim fructuum collectæ imponuntur, utpote in quibus semper habetur major respectus ad reditus, quam ad rem ipsam, *l. si dependentes ff. de Usufr. l. 4. §. si actor ff. de re judic. Gilman. p. 2. tit. 6. vol. 5. n. 31. Supplic. Cameral.* ita ut si fructus majores, majora etiam possessori onera imponantur, si minores, minora. Maxime autem in Revisione Catastri respectus habetur ad incrementa & decrementa facultatum, quæ post primam Catastri confectionem subditis obvenerunt, hæc accurate solent notari, & norma ac cynosura esse debent, secundum quæ tributa imponantur, 2. Regum XXIII. v. 36. ne tantum pauperibus imponatur, quantum divitibus 2. Reg. XV. v. 20. Hinc plane sublato fundo vel prædio, unde census solvebatur, ut si chasmate perierit, etiam plane cessabit census, quia hæc semper quasi clausula subintelligitur, rebus sic stantibus & in eodem statu permanentibus. Nam cessante causa census, cessat & census ipse, & deficiente causa constituti, deficit etiam constitutum ipsum, *Rövenstr. l. c. §. 191. seq.* ubi etiam formulam, secundum quam census imponendus, exhibet. §. 309. quo me remitto.

§. V.

Catastri Confectio quomodo instituenda?

His omnibus rite peractis, sequitur tandem novi Catastri confectio, in quod personæ & bona, prout professa fuerunt,

fuerunt, designanda & æstimanda. Hoc autem fieri debet a Revisoribus in præsentia Magistratus & communitatis cujusque loci, ut quilibet videre possit, se rite in æstimo descriptum, & sic de æstimi justitia ac æquitate testimonium perhibere. Deinde Superiori ad confirmationem insinuari debet Catastrum, utpote quæ confirmatio tandem plenissimum robur addit publicis ejusmodi constitutionibus, quo facto subsequitur publicatio & intimatio, ad quam iterum Magistratus loci & communitates citantur, simulque admonentur, ut secundum tenorem hujus Catastri, tributa imposita libere & incoacte semper solvant: Si vero contigerit, ut unus vel alter in facultatibus suis damnum patiatur, aut incrementum sentiat, illud vigore semel præstiti juramenti, Magistratui suo denunciabit, & vel augmentum, vel diminutionem impositi oneris expectabit, uti expresse etiam sancitum in sæpe alleg. *Instruct.* der *Revisoren* im Hertzogthum Magdeburg §. *ult.* Nach diesem allen soll jedes Orthes *Catastrum* eingerichtet, und von denen *Revisoren*, in Beysein der Obrigkeit und *Commun publici*ret, dabey auch denen Unterthanen angedeutet werden, daß wann ihr Vermögen sich verminderte oder verbesserte, sie es nach dem Eyde, welchen sie itzo geleistet haben, der Obrigkeit so fort anzeigen, und darauff die Erhöhung oder Verminderung ihres Steuer-*Contingents* gewärtig seyn sollen.

§. VI.

Antequam hoc caput finio, paucis etiam de forma adæquationis in Imperio nostro Rom. Germ. & inprimis in nostro Ducatu recepta quædam subjiciam. Antiquissimus & jam dudum inveteratus mos est, collectas secundum certam aliquam bonorum proportionem imponere, ita ut hujus rei etiam vestigia in Sacris inveniamus, *Genes. XLVII. v. 24.* ubi quintam partem ex reditibus agrorum Pharaoni dare jussit Joseph, Pro-Rex Ægypti. De Romanorum veterum censura supra cap. II. quædam fuerunt dicta, quo me remitto. In Recessibus Imperii duplicem collectandi modum invenimus, primum per æs & libram, qui olim maxime fuit frequentatus in collectione des gemeinen Pfenniges, & justissimus nominatur, *R. I. 1542.* §. Und wiewohl derhalben &

De modo collectandi in Imper. & Ducatu Magdeb.

maxi-

maximopere Imperii Statibus commendatur in Comitiis A. 1608. ideo, quia secundum eum non tantum subditi, sed etiam Electores, Principes, civitates, imo omnes pro ratione suarum facultatum collectantur, nemine plane exempto, qui modus collectandi etiam fuit comprobatus auff dem Creyß-Tages Abschiede zu Braunschweig *in Mart. A. 1622. ubi statutum :* Daß ein jeder *sine discrimine* den hundersten Pfennig zur Anlage zu Erhaltung des *Defension*-Werckes zahlen und eintheilen solle, welcher aber unter 100. fl. werth hat, soll von 20. fl. 2. gl. und welcher unter 20. fl. werth hat, soll 1. gl. 4. Pf. geben. Et hic modus collectandi ab An. 1495. usque ad A. 1521. duravit, quamvis interim septem Imperii Recessus fuerint habiti, ubi in *Comitiis Wormatiensibus* §. *Item* haben wir uns weiter. alius modus fuit introductus, qui vocatur nach dem Römer-Zug. s. juxta Matriculam Imperii, ubi Statibus collectæ ita imponuntur, ut illis liberum relinquatur, collectas inter subditos iterum pro lubitu distribuere. De utroque modo in *Comitiis Ratisbonensibus A. 1598. & 1603.* valde fuit disceptatum, interim tamen posterior frequentior, & in nostro Imperio hodie receptus ac approbatus.

§. VII.

Ab hac communi collectandi modo recedunt sæpius Jura Provincialia, quæ pro subditorum statu ac conditione distributionem instituere solent. Ego in præsens de aliorum consvetudinibus non ero sollicitus, sed de patriis moribus quædam adjiciam, qua ratione & proportione collectarum hic fiat distributio.

§. VIII.

Modus collectandi Superiori Seculo.

Sciendum igitur est, superiori seculo usque ad Annum 1581. tributa tantum agris fuisse imposita, ita ut centesimus ubique nummus loco tributi penderetur, uti Taxa in Archivo, cujus copia inter Acta Provincialia asservatur, testatur. Postmodum cum hæc quantitas non sufficeret, deliberatum fuit, quomodo tributum centesimi nummi posset augeri; & ab initio inter se convenerunt: (1.) Ut opifices, qui nullas haberent proprietates, & ideo olim a collectis immunes, justa habita bonorum proportione, taxarentur. (2.) Clerici, Capitulares, Abbates &c. tertiam partem annuo-

annuorum redituum conferrent. (3.) Nobiles quintam vel sextam suorum proventuum contribuerent. Et hæc Taxa aliquantisper stetit, donec tempore Alberti, Cardinalis, Electoris Moguntini, Archi-Episcopi Magdeburgensis, Marchionis Brandenburgici, nova Taxa constituta, quæ de omnibus bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, quinquagesimum & tandem septuagesimum, nummum, tributi loco exigeret.

§. IX.

Et hæc fuit prima origo septuagesimi nummi oder des siebenzigsten Pfenniges, qui modus collectandi adhuc hodie in patria mea frequentatur. De hujus impositione, reperitur adhuc vetus aliquod documentum, cujus tenor cum paucissimis cognitus, ad pleniorem autem hujus rei notitiam non parum conferat, operæ pretium esse duxi, potissima capita exinde excerpere. Et quidem primo continet instructionem, quæ tunc temporis Taxatoribus data, in qua jubetur, ut adhibitis cujusque loci Magistratibus omnia oppida ac pagi, item cœnobia & loca sacra, præstito juramento, suas facultates profiterentur, & convenienti pretio taxarentur, ut postmodum secundum hujus pretii quantitatem, loco tributi, cuilibet solutio LXX. nummi imponeretur, *Instruct.* der *Taxatoren de A. 1531.* §. *1. usque 5.* (2.) Qua ratione inquisitio in facultates fieri debeat, §. *5.* & *6.* præscribitur. (3.) Tributa in loco rei sitæ esse solvenda, licet possessor in alieno territorio habitet, §. 7. (4.) Quomodo unusquisque in specie examinandus, & quænam bona profiteri debeat, §. *8. seq.* (5.) Omnia bona collectanda, sive sint feudalia, sive hereditaria, sive propria, sive jure coloni possideantur, §. *12.* (*6.*) Qui nulla bona propria habent, de 40. gl. salario unum, loco tributi, solvent, exceptis tamen illis, qui Nobilibus, Prælatis & Magistratibus civitatum serviunt, §. *17.* (7.) Opiliones, carnifices, meretrices, lenones, molitores in specie taxari jubentur §. *20. seq.* (8.) Magistratus etiam, item die Innungen, confraternitates & omnes communitates, qui prædia, decimas, prata, lacus s. Teiche, molendina & similia, sive mobilia, sive immobilia possident, etiam taxandæ & allibran-

Origo des siebenzigsten Pfenniges.

allibrandæ. (9.) Specialis taxa additur Clericorum & bonorum Clericalium, quod illa quoque Antiſtites Eccleſiarum jurato debeant profiteri, & non ſecus, ac aliorum Laicorum, ſecundum ſeptuageſimum nummum collectari. Hæc ſunt potiſſima capita, quæ in hac Inſtructione continentur, cui poſtmodum annectuntur juramenta Taxatorum & Receptorum.

§. X.

Libri Profeſſionum antiqui.

Hi libri Profeſſionum & Taxationum A. 1531. confecti, continebant cujuslibet loci bona, quomodo profeſſa, & taxata, & collectæ ſeptuageſimi nummi ſubjecta, & diu in Archivo, quod in arce Mauritii Halæ erat, fuerunt aſſervati, adhuc A. 1608. uti inventarium, juſſu Reverend. Capituli, tum temporis ſede vacante, confectum teſtatur, qui libri Profeſſionum ſex conſtabant voluminibus. Qua ratione & quo tempore poſtmodum hi libri fuerint deperditi, de hoc non conſtat. Dolenda utique maxime eſt hæc jactura, utpote quæ cauſa fuit multarum confuſionum, maxime vero, quod tempore pie defuncti Sereniſſimi Dn. Adminiſtratoris Augusti nulla generalis potuerit fieri exæquatio, ſed cuilibet loco in ſpecie, pro qualitate damni perpeſſi fuerit facta remiſſio ac moderatio tributi, quæ remiſſa ac moderata a matricula detracta, eam non parum debilitarunt, ut hinc multiplicatio & reiterata impoſitio ſeptuageſimi nummi eo ſæpius fieri debuerit.

CAP. VI.

DE

FINALI CAVSA REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

Querelæ de inæqualitate Collectarum.

Nullæ calamitoſo hoc tempore frequentiores exaudiuntur querelæ, quam miſerorum ſubditorum, qui ſub tributorum oneribus fere exanimes jacent & vix ſpiritum ducunt, omnes fere uno ore ſe miſerrimos eſſe dicunt, & de crudeli exactorum ſævitia querelas ingeminant.

geminant. Si causam quæras, nullam aliam invenies, quam injunctorum tributorum iniquam ac inæqualem distributionem, & quod omnis potentiorum sarcina ad inferiores transfertur, *l. 1. C. de censʃ.* Huic igitur malo ut debita opponatur medela, Catastri solet institui Revisio, utpote cujus unicus hic solet esse finis, Æquitas & publica Utilitas. Et ob summum hujus æquitatis favorem, volunt Doctores, etiam ad unius instantiam posse Catastrum mutari ac revideri. Nam quamvis necessaria omnino sint tributa, & ob id etiam laudabilia, speciem tamen & vultum illaudabilem sumunt, si non perite administrentur, & insitum illis odium certis quasi fomentis emolliatur. Inter quæ remedia imprimis æqualitas & generalis adæquatio tam de Jure Civil. communi, quam novissimo, *R. I. de Ann. 1542. & 1544.* zu Speyer. commendatur, ubi in colligenda nummula ad collectam Turcicam summa ubique æqualitas fuit observata. Vix enim credas, inquit *Lipsius 4. Polit. 11.* ubi inæqualitas adest, quantum augeatur insita humano generi invidia, ut pari dolore aliena commoda ac suas injurias metiantur. Hic est ille finis, qui ex Catastri Revisione fluere debet, æquitas hæc nisi primario unice intendatur, nihil recte agetur. *Finis Revisionis.*

§. II.

Accessorius finis etiam esse potest hic, ut Princeps numerum & capita ac facultates subditorum suorum sciat, ut, si fortassis belli vel alia calamitas ingruat, de viribus regni sui constet, an ipse sibi consulere possit, an vero aliorum necesse habeat requirere subsidia. Denique ut sit norma, quam exactores tributorum observent, & secundum quam unumquemque ex subditis ad onera solvenda adigant, ita ut quanti quisque descriptus in æstimo fuerit, tantum & non plus nec minus quilibet conferre teneatur. Imo etiam eo fine, ut exinde conjiciatur, quinam contributioni sint addicti, qui vero liberi & immunes &c. *Klock. de contrib. c. 20. §. 386.* ubi plures citantur. *Alius finis Revisionis.*

CAP. VII.

DE

EFFECTIBVS REVISIONIS CATASTRI.

§. I.

Effectus Revisionis Primus.

EFfectus Revisionis varii possunt constitui, uti effectus ipsius Catastri non sunt unius generis. Sic (1.) effectus Revisionis est, quod per Revisionem bonorum & descriptionem in publicum Catastrum contrahatur, de novo hypotheca publica & quasi consensus, ad præstandam collectam pro ea quantitate, qua in Æstimo descriptus est, *Thomat. de collect. §. fine num. 3. & 11.* quæ obligatio rem uniuscujusque, imprimis immobilem, adeo afficit, ut simul cum ea transeat in quemcunque possessorem. Quemadmodum enim per Catastrationem contrahitur quasi obligatio personalis & realis, *l. 4. C. de agricol. l. fin. ibi, si passi sunt. de veteran. Gail. 2. obs. 52. n. 24. Tessaur. Decis. 164. n. 3.* ita multo magis per Catastri Revisionem talis inducetur obligatio.

§. II.

Effectus secundus.

Alius effectus est, quod Revisioni Catastri plena tribuatur fides, ita ut omnis in illo descriptus, quantitatem collectæ sibi impositæ, sine ulla mora teneatur solvere, nec eum juvet, quod rem alienaverit; tamdiu enim pro novo possessore collectas solvere tenetur, donec res in æstimum ementis fuerint relatæ. Potest tamen ab emptore illud, quod solutum fuit, repetere, utili actione negotiorum gestorum, *arg. l. 6. § 3. ff. de neg. gest. Rol. a Valle Vol. 1. Consil. 32. n. 15. Barthol. Socin. cons. 143. n. 1. vers. praterea respondeo.* Quæritur hic: An liberum sit possessori, rem in Catastrum relatam, cui libuerit, vendere? Et respond. neg. cum enim Reipubl. intersit, ne res in talem emptorem transferatur, qui ad collectas rei inhærentes solvendas, minus sit idoneus, ideo non licebit in inidoneum rei possessionem transferre, sed æque idoneus erit eligendus. Si secus fiat, prior possessor ab onere collectarum non liberabitur, sed nihilominus, etiam re vendita, adhuc solvere tenebitur

An res in Catastrum relata libere possit vendi?

bitur

bitur per expressam *l. 3. C. de præd. & omnibus reb. navicul.* ubi dicitur, quod si ad minus idoneum res fuerit translata, etiam auctores transscripti prædii teneantur obnoxii, & *Nov. 17. c. 8. §. 1.* declaratur, quis pro inidoneo emptore habendus, it. *authent. sed & peric. C. sine cens.*

§. III.

Ex Revisione Catastri etiam hic fluit effectus, quod exinde præsumatur jurisdictio, ita ut qui in Revisione iterum in Catastrum relatus, etiam jurisdictioni istius loci, ubi Revisio facta, se subjicere teneatur. Illud tamen tantum intellectum volo ratione rei in Catastrum relatæ, quod nimirum ista res sit illius jurisdictionis, cujus est catastrum, *Nicol. de Passer. de privat. script. l. 5. q. 1. n. 34.* Personæ enim subjectionem hoc necessario non arguit. Deinde etiam limitatur & restringitur hæc assertio, quod tantum valeat in immatriculato, qui scienter fuit catastratus; nam si inscius & non citatus a Revisoribus fortassis ex errore in Catastrum fuerit relatus, illud non fundabit jurisdictionem, utpote quæ in inscium & invitum non exercetur. Catastrum enim neque dominium, neque possessionem, probat contra eum, qui scriptura non consensit, neque interfuit, *Montan. c. 64. n. 5. Mascard. de probat. conclus. 273. n. 2. 3. & 7.* Notanter etiam dictum, quod præsumatur jurisdictio ex descriptione in Catastrum. Nam communis Doctorum opinio est, quod solus liber censualis non faciat plenam probationem, interim tamen si cum aliis adminiculis concurrat, oriri exinde præsumptionem, *Hieron. de Monte de finibus regund. c. 64. Corne cons. 333. n. 9. vers. sin autem probaretur l. 1.* ubi dicit Catastrum non mediocre signum & argumentum præbere, quod bona ibi descripta sint illius territorii, cujus est Catastrum. *Paris. cons. 104. n. 69. Seraphin. Olivar. Razzal. Decis. 1061. n. 5. & 1077. n. 2.* *Effectus tertius.*

§. IV.

Hoc etiam operatur Revisio Catastri, quod ita reiterata descriptio, contra eos, qui de tributorum inæqualitate conquesti, & de novo se inscribi passi sunt, conventionem inducat & quasi contractum, inscriptum ad inscriptæ quantitatis solutionem obligari, quæ obligatio necessitatem solvendi & præstandi continet, *l. 3. ff. de O. & A. l. 5. C. eod. l. 1. 5. l. stipu-* *Effectus quartus.*

lationes ff. de V. O. hinc per hanc reiteratam descriptionem quasi contrahitur, & personalis ac realis obligatio inducitur. *l. 4. C. de agricol.*

§. V.

Effectus quintus. Refertur etiam inter effectus Revisionis, quod in gratiam ejus, cujus bona in Catastro descripta, inducatur aliqualis præsumptio, eum esse verum horum bonorum possessorem, *Mascard. cons. 273. n. 8. Turret. cons. 9. n. 22. l. 3. Aldovin. c. 43. n. 14.* & huic præsumptioni tamdiu statur, donec probetur contrarium, *l. generaliter §. si pretium in fin. ff. de Fideicomm. libert. l. fin. pr. ff. quod met. caus.* Aliud dicendum, si tertius contradixit descriptioni in Revisione ad ejus nomen, tunc enim procul dubio dominium, quod erat apud tertium, non amovebitur, nec transibit in alium, cui in æstimo reperitur adscriptum, licet ille collectas solvat publicas, *l. censualis in pr. l. solennibus C. de R. V*

§. VI.

Ultimus effectus. Denique effectus Revisionis est, universalis omnium onerum exæquatio. Cum enim ea durante cuilibet licitum sit, libere profiteri, quæ eum premant gravamina, quæ passus sit detrimenta, quæ commoda alius acceperit, hic etiam unicus & principalis ibi intendi solet scopus, ut inæqualia exæquantur, & cuilibet suum, pro facultatum proportione, tribuatur.

§. VII.

De Actionibus. De Actionibus reciproce competentibus hic quædam subjicienda forent, sed cum alii hoc fusius pertractarint, brevitatis causa, eo me remitto. Videatur *Klock. de contribut. c. 19. per tot. Brunneman. ad L. 5. C. de cens. & censit.* De contrariis & affinibus, quæ debuissent proferri, lubens omitto, ne modum in disputatione excederem, & B. L. nimis molestus forem.

Conclusio. Et hæc sunt, quæ pro instituti ratione de præsenti materia in medium proferre placuit. Tu, Benevole Lector, si ex imbecillitate fortassis offenderim, & minus accuratus fuerim, ignosces & veniam dabis. Summo autem Numini, in cujus nomine hoc negotium suscepi, immortales exsolvo gratias, pro immensa sua in me bonitate, quod Studiis

diis meis hactenus ex alto benedicere, eorumque cursum ad præsentem usque metam benigne dirigere voluerit. Tibi, o Summe DEUS, in posterum quoque omnes & animi & corporis vires unice devotas & consecratas volo, rege & dirige omnia mea cœpta, & fac, ut nunquam a pietatis ac justitiæ via in devia deducar, sed in eo, in quo me collocasti, stadio inoffensus & feliciter procedam. Hoc unicum votum, ut omnes conatus mei in Tui, Summe DEUS, honorem, patriæ emolumentum, familiæ & proprium commodum proferantur.

FINIS.

---

* * * * *

* * * * * * *

IAm valeat multum vulgata parœmia NOXÆ
HEROUM FILII: Justinianus ait.
Nobile LYSERI volitare per ora Virorum
Nomen, quis nescit Fonte bibens Clario?
Theologi, vel Consulti, Medicive, Sophive
Res poscas, magna est gloria LYSERIDUM.
Quare sublimi cum promas pectore jura,
Consultæ Laurus præmia celsa feres.

Honori Prænobilis Dn. DOCTORANDI,
Fautoris & Amici sui
f.

DIET. WILHELMUS MATTHIÆ,
D. & P. P.

Ad

Ad
NOBILISSIMUM ac CLARISSIMUM
DN. LYSERUM
AMICUM SUUM ÆSTUMATISSIMUM
DOCTORIS AXIOMATE
propediem condecorandum.

Usque Tibi placuit Themis, & Themidi usque placebas,
Splendida ob ingenii dona, LYSERE, Tui.
Tunc Themidi placuiſſe juvat, dum dicere DOCTOR;
Quippe placet Themidi, ſe placuiſſe Tibi.

GEORGIUS HENRICUS Brückner,
I. U. D. Pand. P. P. & Iudicii
Elect. Mogunt. Aſſeſſor.

QVo Te fata trahunt, dic, quo contendis, AMICE,
Quid, quæſo, inſvetas geſtis adire plagas?
Siccine Lipſiacas jam dedignabere Muſas,
Quas in deliciis haut latet eſſe Tuis.
Siccine quæ divæ Themidos Te rore beavit
Erneſtina Tui lumine caſſa gemat?
At reor inſoliti cauſa eſt ſat juſta receſſus,
His quæ mandavit vertere terga locis.
Miſnia Te coluit, coluit Schaumburgica tellus,
Utraque conſtanti flagrat amore Tui.
Quid mirum? quoties ſcandentem pulpita vidit,
Pervidit raras utraque mentis opes.
Qui lateat tantis animus qui dotibus auctus,
Omnia multiplici fertilitate replet?
Aſt Hierana Tui vix percita Nominis aura
En ſummi cupide pandit honoris iter.
Ergo virtutis monſtrato tramite tutus
Ingredere & meritis præmia digna cape.
Præmia, quæ duplici Tibi palma jure reſervant
Urbs Hierana *fori*, Parthenopæa *fori*.

Paucis his Nobiliſſimo Dn. CANDIDATO,
jam inde a multis annis ſibi amiciſſimo,
novos honores gratulari voluit



GEORGIUS LOHMEIER,
Sch. Cath. Magd. R.